Cam. d. 671. 4
30

Epicedia Cantabrigienſia

IN

OBITUM

ILLUSTRISSIMÆ PRINCIPIS

ANNÆ

Ducissæ Eboracenſis.

William Morell

CANTABRIGIÆ,
Ex Officina *Joann. Hayes*, Celeberrimæ Academiæ Typographi 1671.

2340.80

CAMBRIDGE
UNIVERSITY
LIBRARY

SERENISSIMO & AUGUSTISSIMO

REGUM

Carolo Secundo

D. G.

Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ

REGI, &c.

EPICEDIA CANTABRIGIENSIA

INOBITUM

ILLUSTRISSIMÆ PRINCIPIS

ANNÆ

DUCISSÆ EBORACENSIS

E TORO

Magni Jacobi

DUCIS EBORACENSIS

IN COELOS

RAPTÆ

HUMILLIME CONSECRATA.

AD REGEM.

Qui morimur quoties Regalia funera flemus,
Deserit & Musas Spiritus intus alens,
Incolumi Carolo revalescimus, atque novatas
Extinctis vires dat Carolina salus.

JOH. BRETON *Mag. Coll. Eman.*
& Acad. Procan.

In

Epicedia Cantabrigiensia.

In Mortem Illustrissimæ DUCISSÆ EBORACENSIS.

CArmine cur tristi feretrum exornare studemus?
Quídve dabit formæ nostra litura tuæ?
Frustra: terrenum dum mortua spernis honorem,
Pulchrior ínque Ducis vivit imago sinu.

THO. MONTAGUE, *Honoratissimi* Edvardi *Comitis* Mancestriæ *filius natu quintus*, C. C. C.

ἘΠΙΤΆΦΙΟΣ.

Ὦ Ξένε φίλε, ταχὺς τόδ' ἐμὸν μὴ σῆμα παρέλθῃς·
Στῆθι δὲ, καὶ παύροις δάκρυσι δεδε γένυν.
Ἐς λέχος ἣν κλυτὸς ἦγεν ἑὸν Βασιλῆος Ἀδελφὸς,
Ἔκκειμαι κοίλῃ ἐν χθονὶ τῇδε νέκυς.
Τοιγὰρ ἐπεὶ πίστιν σχίζουσιν πλείονες ἄγνην
Δόξαι, καὶ φᾶναι γνήσια πᾶσα θέλει·
Ἔσπευδον μάλα θαῤῥαλέως τὸν Ὄλυμπον ἱκέσθαι
Εὐθὺς πευσαμένη, ἥνδανεν ἥτις ἐκεῖ.

Jo. NORTH, Coll. Jes. Soc. *fil.* Dudleii *Domini* North.

Ad

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Epicedia Cantabrigiensia.

Ad JACOBUM *Ducem* EBORACENSEM
Παραμυθητικόν.

SIste Tuas tandem lacrymas, *Dux magne Briganium,*
Nec Te perpetuus maceret usque dolor.
Chara licet Conjux decesserit, inclyta Mater
Edgari (ô vivat, vivat hic, oro) Tui;
Postquam Te pulchrâ fecit jam prole parentem,
Pars Illius adhuc multa superstes erit.
Illa viam ad Superos præiit Tibi, maxime *Princeps*:
At Tu, quæso, Tuam serò sequare *Ducem.*

ANNAM nunc flemus, jampridem flevimus ANNAM,
Dux *Iäcobe*, Tuam, Rex *Iäcobe*, Tuam.
Es nobis, & eras, solamen, uterque superstes
Túque Tuæ, *Princeps*, Túque *Monarcha*, Tuæ.

ΤΡὶς τρισὶ Πιερίδεσσι πόνον καὶ πένθος ἔθηκαν
Τρεὶς Θεαὶ εἰν ὀλίγῳ ἡμετέρῃσι χρόνῳ.
Κλαύσαμεν οὖν τὸ πρὶν αἲ αἲ ΚΑΡΟΛΟΙΟ Ἄνακτος.
Μητέρ', Ἀδελφείην, νῦν δὲ καὶ Εἰνατέρα.
Ταῖς τρισὶν, εἰ καὶ ἔσαν τρισὶ περ Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι,
Οὐ χραίσμησ' ἀρετὴ, οὐ δέμας, οὔτε φυή.
Οὐ γένος, οὔτε τι εἶδος ἐπήρκεσε κῆρα μέλαιναν·
Τρεῖς Μοῖραι Χαρίτων κρείσσονές εἰσι τριῶν.

JACO. DUPORT, S. T. P. *Coll. Magd.*
Præf. Dec. Petriburg.

Epicedia Cantabrigienſia.

In Obitum Illuſtriſſimæ DUCISSÆ EBORACENSIS.

DUm parit infantem, nutrítque Ducissa tenellam,
Deficit; ad cœlum lactea tota via eſt.
Nec moritur tamen, aſt ſibi clarâ ſtirpe ſuperſtes,
In partus animam dividit Illa ſuam.

JACO. FLETEVVOOD, S. T. P.
Coll. Regal. Præpoſ.

Ad Illuſtriſſimum Ducem EBOR.

QUò poterat Virtus in terris ſcandere noſtris,
Inclyta pro meritis venerat Anna ſuis.
Deerat adhuc Regnum: terras pertæſa jacentes,
Ergo ſibi in cœlis jam diadema petit;
Fítque *Duci* Dux ipſa ſuo, cui, quâ volat, altam
(Olim ingreſſuro) ſignat ad aſtra viam.

NAm Te, *Britannis* Columen & Decus, diu,
Invicte Princeps, ſoſpitem hìc Numen velit;
Annámque ſerò jubeat, ô ſerò, ſequi.
Meruiſſe cœlum ſæpiùs juvet ſemel
Tibi capeſſendum. Pugile JACOBO haud egent
Cives ſuperni, fulmen aut tuum advocant.

Epicedia Cantabrigienſia.

Hìc, hìc tonabis meliùs, & noto *Anglica*
Fragore latè perſonabis æquora;
Seu *Batavus* inſtat cominùs, ſive eminùs
Oſtentat iras *Gallus*, & fremit procul.
Hâc *Albemarlum* lege Cælitibus datum
Non invidemus: ſolus Ipſe ſufficis,
Modò perfruamur; *Marte* nec alio fines
Tuos egere. Debitum ô differ polum,
Et vota patere hæc; patere cum damno tuo
Felicitatem noſtram; & abreptæ loco
Sponſæ, ſalutem publicam in ſinum cape.

J. Beaumont, *Coll. S. Petri* Præfectus.

In Obitum Celſiſſimæ DUCISSÆ.

INnumeram ſobolem dum parturit Anna *Jacobo*,
Regalem properans prole beare domum;
Heu! plures rami tantâ de ſtirpe tenelli
Hoc tantùm in vitâ, quòd moriantur, habent.
Sentit fœcundam cœlo ſe Mater, & illuc
Ad patriam properat quâ magìs ipſa parens.

Jo. Pearson, *Mag. Coll. SS. Trin.*

M.

M. S.

ANNÆ

Illuſtriſsimæ DUCISSÆ EBORACENSIS.

Roma ſuis *Divis* aras & Templa dicavit:
Hinc *Gens* divino *Flavia* thure calet.
At Te vix capiet numerosâ prole beatam
Ædes, quæ noſtrâ cunque ſtruatur ope.
Sit licèt alta domus, *Phrygiis* innixa columnis,
Par cælo, ſed erit Téque, Tuíſque *minor*.
Præceſſit *Carolus* parvus, parvúſque *Jacobus*:
(Mollibus his patuit mollis ad aſtra via:)
At quota pars ſupereſt, (longúmque diúque ſuperſit:)
Quæ claudit ſacrum, grata caterva, latus!
Quos tamen anguſtâ Fanum non ſede coarctet,
Mox capiet ſuperi Regia celſa Poli.

AT Tu, *Thalaſsiarcha, liberi maris*
Clausique domitor, numen *Oceani* potens,
Decúſque noſtrum, *Batava* quem pinus ſtupet,
Mox & ſtupebit *Gallica*, ô patere Tuam
A latere divelli *Amphitriten* paululùm,
Et comparem in ſtellam rapi. Non tota abit;
Sed *occidit* tantùm, ſuas ut proluat
Comas in undis, tingat & radios Tuis;
Quò luce poſſet magis oriri ſplendidâ,
Et ſpargere inſolitum jubar. *Nereos* hoc eſt
Vaticinium Tui: *Occidit, quicquid oritur.*
Nec deſtitutus interim es *Nymphis* ſacris,

Deabus æquoris, famulitio Tuo:
Adhuc Tridentem *Naiades* colunt Tuum,
Nereîdúmque circitèr natat Chorus.

T. Stephens, S. T. P.
è *Jesu.*

Ad Illustrissimum Ædgarum, Cantabrigiæ *Ducem, de Matris suæ Obitu; dum & Ipse æger admodum.*

Frustra, heu, querimur!
Nónne & invidi nimis videamur,
Dum moriens piè affectavit *Mater tua*
Sedes beatiores, charis Pignoribus
Postpositis, radiisque Mariti?
Dissolvi indies cupiit: &, quasi surriperet
Se nobis sine pompâ, nec abitûs ergô
Scena Clientûm mutaretur in *atrum*,
Animâ ad deliquium promptâ, deposuit
Jejunali in tempore carnem.
Nec cœli resolvat quisquam ænigmata,
Quòd Tuos, tenelle Dux *Cantabrigiensis*,
Eboraci*que* Ducis *hæres*, ægritudo
Assiduè depascitur artus.
Vox Ædgari *beatum* denotat; tale & omen
Adhuc speramus in Te nos Angligenæ.

Ædg-

ÆDGARUM alium vix novimus: at si
Nomini omen imponere possimus *beatum*,
Quem non signaremus *eodem*?
Sed submittenda sunt & Nomina & Sceptra
Prærogativæ Dei, Fecialíque illius
Morti. Precemur interim nos, beatè
Principes publicum in bonum ut vivant,
Et serâ tunc morte triumphent.

Ità precatur

GUIL. FAIREBROTHER, L. L. D. &
Coll. Regal. Socius.

Dum

Epicedia Cantabrigiensia.

DUm *Jovis* amplexus *Semele* petit insçia fati
Tristè secuturi, depascit flamma medullas,
Exhalátque animam, nimio quia Numine plena est;
Sic te fulgentem tanti miramur in ulnis
Principis, in terris CAROLO modò Diúsque minoris,
Huic Soror, huic Conjux, ex omni parte beata
Incedis; tantis sed tandem amplexibus impar
Corporis infirmi molés operosa laborat:
Et sic fata volunt, quia nil mortale quod optes
In terris supereſt, in cœlis cætera quæras.

Gabr. Quadring, Magd. Coll. Socius,
Proc. Sen.

SIccine perpetuâ procedent funera pompâ,
Quæ vexent nostras imbre frequente genas?
Sit tibi de tantâ tandem hæc victoria stirpe
Ultima, funeribus sit, *Libitina*, modus.
Arbore de cæsâ tibi jam duxisse triumphos
Sit satis, in tenero germine constet honos.
Ah! videat felix multos Dux parvulus annos,
Qui de, *Granta*, tuo nomine nomen habet.
Cùm toties nuper maduerunt lumina nobis;
Nè nova succedat luctibus, Ille, seges.

Guilielmus Birkbeck, Coll. Johan. Soc.
Acad. Procuratorum alter.

Μονῳδία

Epicedia Cantabrigiensia.

Μονῳδία ΜΗΤΡΟΣ ἈΚΑΔΗΜΙΑΣ.

Ἴλαθι πότνια δῖα· χοάς τε μικράς τῶρ ἐούσας
Μουσέων ἐκ πασέων τῆ δροσερὰς μέλιτι.
Οὐκ αἰνέω ζωὴν, εἰ καὶ κλέος ἔξοχον ἔχες
Καλλιπόσθα δάμαρ, καλλιτόκθα λεχώ.
Οὐκ ἐρῶ ὡς θνήσκουσα λάχες τέμενος Βασιλήων,
Ἀιεὶ τῶν λεχέων ἀξί' ἀνακτορέων.
Ἀλλὰ φέρω σκαιῇ φιάλην τὰ σὰ λείψανα λοῦσαι·
Λαμπάδα εἰς τύμβον δεξιτερῆφι φέρω.
Καὶ βωμῷ σκηριπτομένῃ νέφος ἄσκιον ὤμοις,
Ὡς νόμος αἰνοπαθῶν, ἀμφιχέω πλοκάμους·
Ἔνθ' ὑπὲρ ἡγεμόνος μοι ἐπωνύμου ἱερὰ ῥέζω,
Μὴ δνοφερὰς ἀτραποὺς, ἃς ἔτρεχες, διέποι.

T. Gale, Taxator Academiæ Sen.
Coll. Trin. Soc.

HAnc olim formam patrii clausêre *Penates*,
Mirantur soli munera tanta lares.
Tum procul Aulaï fastu coluisse licebat
Intra virgineos gaudia casta sinus.
Illam inter curas humiles blandósque recessus
Foverunt ulnis Gratia Trina suis.

Hanc

Hanc ubi *Jacobus* vidit, mox concipit ignes,
Egregiúmque *Ducis* pectus amore calet.
Heu! qualis tunc oris honos? heu quanta venuſtas?
Dum adrepit timidè *Nympha* cubile *Ducis*.
Paulatim vultus Majeſtas grandior ornat,
Pérque *Ducis* ſerpit mox nova forma genas.
Paſſim adeò incedit poſthac *Juno* Anglica: nempe
Par eſt *Heroï* ſola DUCISSA ſuo.
Talem ſe oſtentat turbâ mirante, *Jacobus*
Dum peteret noſtri grandia fræna maris.
Ad ſua pacati reptabant littora fluctus,
Et placidè *Divam* ſtat venerata *Thetis*.
Nil veritus tandem Conjux ſubiit mare, ſed quod
Placârat vultu Cara DUCISSA ſuo.
Talis erat nuper, quando Hanc magnúmque Maritum
Præſentes coluit Turba Novena Deos.
Terrenis major titulis jam affectat *Olympo*
ANNA viam: ex iſto tempore *Diva* cluet.
Maturam cœlo formam jam ſidera poſcunt;
Debetur ſupero gloria tanta Polo.
Affines adeò geſtit pia viſere ſtellas,
Et Soceri ſidus mox geniale petit.

Hen. Goſtling, C. C. C. Soc. &
Taxatorum alter.

Epicedia Cantabrigienſia.

MAgnus Britanniæ Arbiter (ut olim ſolet)
Juxta calendas Martii, apricum Jovem,
Levamen arduíſque curis cogitat:
Ubi muſa, toties mœſta threnis Regiis,
Videndo CAROLUM, ſpiritus reficit novos.
Hoc privilegium dedit *Granta* ſuæ,
Ut cui neceſſe eſt flere cum Rege optimo,
Ea copiam habeat maximam Ejus otii.
Sed nec fugaces lepores, nec celeres equi
Carceribus emiſſi, magìs ſunt mobiles,
Aut ſorte Regiâ vacillantes magís.
Nam Rex equeſtri lætus in certamine
Subitaneo lateris dolore pungitur:
Miratur, unde fit? At eo ipſo tempore
DUCISSA ſpiritus moleſtè ducere
Cœpit noviſſimos; ſtadia vitæ brevis
Pertranſiítque curriculo, iter finiens
Compendio; & carcere ſoluta corporis
Campos per æthereos pilenta dirigens
Citatiorem Regio curſum expedit.
At Rex amore tactus, & dolentiâ
Lacrymíſque Fratris, corde flammas concipit,
Uritur, & imis heu! medullis pungitur.
Compunctio iſta convenit jejunio:
Tum maximè, quoties novum frequens parit
Dolor dolorem. Difficulter naſcimur;
Nimis experimur facilè Principes mori.

Timoth. Puller, Coll. Jeſu S.
S. T. B.

Epicedia Cantabrigiensia.

In Obitum Illustrissimæ DUCISSÆ EBORACENSIS.

QUum terram & cœlum, Mater fœcunda, beâsti
Prole tuâ; illa Duces, hocce Deos habuit.
Illos, dum licuit, foviſti amplexibus almis;
Hos adiiſſe velit relligioſus amor.

Guil. Briggs, A. M. *C. C. C. S.*

QUis legis hæc? jacet hîc infelix mater Amorum,
Et poſt ſceptrigeram forma ſecunda Deam.
Lucinam ad partus decies audita vocavit;
Heu! quoties lætum parca retexit opus!
Implevit vacuos proprio de viſcere cœlos,
Lætificans ſolos fertilitate Deos;
Inter pœnè rogos & flammas parturit a (infans
Nè fratres inter ſit numeranda Deos.)
Sæpiùs eluſum mors indignata laborem,
Inviſum ſibi non interiiſſe genus
Invida, ſubridens horrendùm, ludimus (inquit;)
Quin ſupereſt iræ nobilioris opus.
Cum pueris certo; damnum reparabile; ſit mors
Riſu digna hominum, ſit licet apta jocis;

Sed

Sed cladum & luctûs faciam compendia. Matrem
Et feriit: Patriæ per latus icta cadit.

Johannes Fermy, A. M. Socio-commensalis. Trin. Coll.

ΘΡΗΝΟΣ.

Κῶλον α.

Μοῖσ' ἄγε, χαλκέᾳ φωνᾷ
Καρταίποδ' ἔγειρε Δωρίαν
Κίον', αἰόλαισιν ἄνω κε-
καδμένον ὕμνων πτυχαῖς.
Οὐ Θέμιδος κηώδης θυγάτηρ,
Εὐνομία τύμβῳ ἄγκειται,
Οὐδ' αἴγλα Τεθνειύας
Φλέγει λάθρα ἀμφη-
ρεφέος ἔνδον ἐντὶ φιάλας,
Ἀλλ' ἅτε πυρὸς ἀγλαὸν
Ἄνθος, ἐν ἀργῆτι παπύρῳ,
Ἑτέροισι φῶς ἔδωκε,
Πυραμὶς αἰθομένα.

Κῶλον β.

Ἥβας ἐν ἀκμᾷ
Οὐ κελήτιζεν ἄλλα
Αἰδοιέστερα παρθένος
ἀδμής.

Ἔν τε γάμων δίφρῳ
Διαπρέπεϊ βαθυκόλ-
πων ἔξοχα ματρῶν
Διοτρεφὲς Καρολίδων
Θάλος ἀρωγὸν δόμοις·
Βλάστε μὴν στέμματα πολλά·
Πνοαίτ' ἄλλοτ' ἄλλαι
Διαιθύσσουσιν, ἅδε μὴ τόσσον
Διηνεκέεσσι ῥίζαις
Ἵκε Τάρταρον, ὅσσον
Οὐρανῷ στήριξεν ἐν-
άνθεμον κάρηνον.

Κῶλον γ.

Τίς τε γυνή, τίς τ' ἀνὴρ
Θεοείκελος τίς ἥρως
Θάνατον φεῦγ' ἑκαβόλον;
Ῥῆξ' ἁπαλὰν Βοείαν
Στάθεος καὶ διὰ θώρα-
κος
Ἦλθε πτύχας, λευ-
κώλενον ἀμφοτέρω-
θεν χαλάξαις·
Δεῖνά τε κλαγγὰ θρήνων·
Δέπησεν ἐριποῦσα καὶ ἀ-
ράβησεν ὕμνος ἐπ' αὐτᾷ.

Κῶλον δ.

Ἀπροσόρατον δι' ἕλκος
Αἰνὸν ἄμπνευμ', ὁρμᾶ-
ται ἀνορέσασα ψυχὰ

Δι' αἰθέρος ὀχεῖσθαι·
Ἀμφιπόλοι μέσον ἀρεταὶ
Ἀγλαΐζονται ἀμφὶ θαμὰ
Τετραορίαν· ἁδ' ἀγλα-
όθρονος ἐπιμαίετ' ἀ-
τηρέαρ ἐν πτεροῖσιν
ἵππους.
Ταρσὸς ὁ χαμαιπέτης
Τύψε μέγα στοναχοῦσαν
αἴαν
Ϝικρόν τε ῥέει μέλαν ὕδωρ.

Κῶλον ε.

ΠΡόσθεν ἅμα καὶ ὄπισθεν
Ἀθρόα σύτο καλὰ ἔργα
Μέγαλα σιγαλόεντ' ἐπειδὴ
Οὐρανίᾳ ποτὶ γραμμᾷ στᾶσεν ἀερσίπο-
δας, τέλος ἔμμεν ἄκρον,
Μακρὰ βοῶν Διὸς ἄγγελος.
Ϝάτραν ἔννεπε καὶ σύνευνον,
Λαγέταν εὐρβιάν,
Ὀρσίκτυπον, αἰολοβρόνταν
Καρυξ', οὐρανὸν ἐλελί-
ζων.
Κόσμον τε γλαυκόχροα
Ἐλαίας ἀναπλέκων
Ἀφθάρτῳ χρυσῷ
Εὐκλέα γυναῖκά στεψεν,
Ὀλυμπιονίκαν.
Ἦν δὴ θαῦμα ἰδέσθαι.

Davies, Trin. Coll.

Cur

CUr mœsto *Latii* sonuerunt carmine montes?
Cur sordent *Heliconis* aquæ, tristésque *Camœnæ*.
Sollicitant Superos? quas inter mixta gementes
Anglia, diffusos humeris laniata capillos,
Mœrenti fertur gressu; *decimámque videri*
Se cupit, & miseras superat plangore *Sorores*?
Nosco diem, causásque mali. Te *Magna* peremptam
Iste DUCISSA dolor queritur: Te Patriâ, Mulæ,
Omnia te plorant: En! rerum invertitur ordo,
Et mutat natura vices; frondente coronâ
Ver cingi solitum languet, visúsque reverti
Autumnus lætos florum violavit honores;
Lilia marcescunt; hilarem rosa læta colorem
Perdit, & in gremio demisso vertice luget.
Sed cur fata iterant luctus, Musásque fatigant,
Cur gemitus renovant (nam vix dum à funere *Magna*
Cessatum est *Henretta* tuo, plagâque recenti
Lædimur, atque ipso sentimus vulnere vulnus:)
Melpomene referas; námque hæc non culpa senectæ,
Non morum, hâc *poterat*, sed iis vixisse *meretur*.
Dum fortè infesto spectabant lumine Parcæ
Angliacam gentem, paci invidêre serenæ,
Deliciísque Aulæ, quas perturbare siniſtro
Designant ictu, & charam rapuêre DUCISSAM:
Sed studio cecidêre suo, spes lusit inanis.
Iuppiter interea magnas audire querelas
Angligenûm cœpit, graviter commotus, & alto
Prospiciens cœlo, gemitûs quæ causa, quis ortus
Sit tanti planctûs, quærit: mox *Principe* demptâ
Ut vidit totam squalentem luctibus Aulam,
Clotho, *Atropon*, *Lachesínque* vocat, dein talia fatur:
Crudeles Parcæ, quæ vos fiducia fulcit,

Quísve

Epicedia Cantabrigienſia.

Quiſve furor cogit, noſtro ut ſine Numine Regum
Audetis violare domos? mihi Regia Proles
Cura; mihi ſacra eſt: Quid jus invadere noſtrum
Tentatis ſævæ? *Nemo me impunè laceſſit.*
Maturate fugam, tenebroſum quærite regnum
Tartarei Regis; ſi plùs ſævire neceſſe eſt,
Nec ſaturata fames, plebeio ſanguine veſci
Sufficiat vobis. Dixit, manibúſque revinctis
Nè Reges feriant, Parcas ad Tartara miſit:
Sed placido avertit vultu, blandámque DUCISSAM
Ad cœlum invitat, CAROLI quæ confita *Plauſtro*
Luce novâ ſplendet, *Fratrémque Virúmque* benigno
Deſpicit aſpectu.--Sed Tu, *Celſiſsime Princeps*
Pone modum lacrymis; ſupra mortalia Conjux
Aſcendit. Tu cura *Jovi* es; nam fræna momordit,
Et ſubiit leges veſana licentia fati.

Joann. Lord, A. M. *Coll. Jeſu Soc.*

SÆva diu totum ruerat *Libitina* per orbem,
Luctificâ terras undique ſtragè replens.
Funere plebeio at ſatura haud contenta quievit,
Sed cupiit prædâ nobiliore frui.
Quid juvat extingui, quorum ſine vulnere fati
Nomina perpetuâ nocte ſepulta jacent?
Præterito ſtatuit populo jam, & paupere tecto,
Irruere in celſas ambitioſa domus.
Hinc ait egregiam laudem, ſpolia ampla feremus,
Orbata eſt noſtrâ Regia ſi qua manu.

Quam

Quam petat in dubio eſt primùm, cùm gloria totis
CAROLIDUM terris inuidioſa ſtetit.
Hæc domus in clari cedet proſtrata triumphi
Materiam, hâc nulla eſt aggredienda priùs.
Obſcurâ emicuit clariſſima nocte reſurgens,
Altior hæc multis extiterátque malis.
Indè, (heu! non animi ſatìs eſt miſeranda referre,)
Triſtia quot tandem ſæva, trophæa tulit.
Ultima poſt plures jacet Heroina dolenda,
Quæ fuit egregio conſociata Duci.
Hæc dederat prolem, nec jam vitam antè reliquit,
Regia quàm partu ſtirps fuit aucta novo.
Pars manet (útque diu ſit tuta) potiſſima, votis
Numen adoramus, thura damúſque pia.

Hen. Archer, Coll. Eman. *Soc.*

QUæ mortem gravis ira tenet, quòd in ardua fatum
Tela movet ſemper? quòd magna ſeneſcere nunquam
Permittens, primis florentia demetit annis?
An putat Herôum leviores Portitor umbras,
Et timet impuras animas tranſmittere remis,
Ne ſubmergatur tanto ſub pondere cymba?
An mercede ſuâ ne ſit fraudatus iniquê
A plebe umbrarum metuit, prohibétque carinâ?
Nunquam defeſſæ ſuſpendent ſtamina Parcæ
Nobilium vel longa trahent, ſeróque jubebunt
Noſtrarum Divos rerum rellinquere curas?
Sat dedimus cœlis olim, ſatìs aucta Deorum
Stirpe Jacobeâ ſedes, quid plura repoſcunt
Numina? Quid tantùm (ſi quæ rellicta) queruntur?

Non

Non Ditem placido volventia lumina motu,
Non vultus formæque decus movet aspera fata?
Carolidæ nec fama Viri? quem patria semper
Ornatum spoliis redeuntem accepit ab hoste:
Quem Gallus Batavúsque timet, mirantur Iberi,
Ductorémque sibi si unum Germania haberet,
Non iterum horreret crescentis cornua Lunæ.
Nulla sălus sceptris datur? aspera numina Lethes
Flectere quis valuit, sævámque avertere mortem?
Cedat atrox Nemeæ, cedat lacrymabilis Isthmos;
Omnia tu superas (Infelix Anglia) luctu.
Quò patriæ spes una fugis, spes una Nepotum!
Quò vadis charum jam desertura Maritum!
Quanto Illum video lassantem brachia planctu,
Te, nomènque Tuum gemebundâ voce vocantem!
Nec satìs hoc putat, at pronus super oscula vultu
Formosum vel frigus amat, pallentiáque ora
Ingemit, ac semper vel sic cupit illa tueri.
Nec dolor Unius satîs est ad Principis urnam,
Mœstitiam poscit communem publica clades;
Obstupet ingenti mœrore Britannica tellus.
Jacobo metuítque suo Te Conjuge raptâ,
Dimidiúmque timet Tanti periisse Mariti.
Non sic amissum lugebant Hectora Troes,
Nec tanto strepitu pubes Romana Quirinum
Quærebat raptum, quanto Te Patria (Princeps)
Defunctam plorat luctu; vix Insula tota
Sufficit ad lacrymas, sicco jam lumine fletur:
Nam post tot clades, post tantáque funera vires
Suppeditare novo nescit natura dolori.

T. Lynford, A. B. *Coll. Christi.*

Epicedia Cantabrigiensia.

AFficitur meritò duplo nunc *Granta* dolore,
Bis *Cantabrigia* nam tulit Anna *Duces*.

G. Barbor, C. C. C.

ELEGIA.

PRoſpera ſi miſeros unquam fecêre, ſutúſque
Ullis eſſe poteſt exitialis honos.
Hoc pateris tu *Granta* malum, quæ maxima nuper
Gaudia concipiens, altiùs indè doles.
Non etenim ignotam deſies, pro more, coacta
Fingere, quæ vates Ars dedit atque Deos.
Vidiſti: ô ſuperi! vidiſtis vos quoque: nobis
Invisíſque erit hæc gloria facta brevis.
Vidiſti, cum te decoraret lumine, *Muſis*
Non *Aurora* tuis fulſit amica magis:
Dignos laude viros quondam ſupereſſe jubebant,
Jamque *ipſas* non eſt *Fœmina* paſſa mori.
Erigit has longo torpentes frigore blanda,
Supplevítque vices, CAROLE magne, tuas.
Qui Regni ſolus dum tanta negotia tractas,
Nobis, *exiguis nebis*, adeſſe nequis.
Opppſitas ſic dum terras tu, *Phœbe*, reviſis,
Sublevat haſce moras officioſa ſoror.
At jam quid nobis ultrà ſperare licebit?
Expectamus adhuc quid ſine luce diem?
Perpetuæ poſthac tenebræ, ſine ſidere noctes,
Soláque jam miſeros cura dolórque manent.

Inge-

Ingenuos, damnis accedens, fortiùs angit
Nil nos pro meritis reddere posse tuis.
Exiguos elegos, & lamentabile carmen,
Vulgaris luctûs signa dediſſe ſat eſt?
Hoccine ſufficiet Tantæ, quæ ſidera cœlo,
Hiſque Ducem fratrem quæ tibi *Granta* tulit?
Præclaram nobis ſobolem partita poloque,
Ipſis quo titulis nomine venit honos.
At tibi, cùm tenues nequeant plus reddere *Muſæ*,
(Quod damus & ſuperis) ſit voluiſſe ſatis.

Joannes Battely, A. M. *Trin. Coll. Soc.*

AD REGEM.

CUm poſt tot clades, iteratáque funera, Cæſar,
Aurelianenſis ſubitò eſt extincta DUCISSA;
Nil gravius potuiſſe putavimus invida fata,
Neu aliud lacrymiſque tuis, fratríſque *Facobi*
Dignum eventurum, threniſque & carmine noſtro.
Fallimur; & fruſtrà ſuperos oravimus olim
(Eheu!) Carolidûm placandos funere ſolo:
Indueris pullas veſtes, magníque doloris
Signa geris vultu maniſeſta, iræque Deorum.
Ergo iterum plorare vices, (Rex optime) veſtras,
Et tecum *Eboraci* caſtam lugere DUCISSAM
Defunctam, & tantùm non numina ſæva vocare
Nos jubet officii ratio, pietáſque requirit
Debita tam charo capiti: ſpectare nequimus

Te flentem ſiccis oculis, ſi Regis amantes,
Atque pii cenſeremur, verique Britanni.
At major gravióque ſubeſt (heu!) cauſa dolendi;
Exemplo multo, & repetitâ morte Tuorum
Te quoque mortalem cognoſcimus, atque veremur,
Nè Majeſtatem violet vis improba morbi.
Dii talem caſum avertant, orabimus omnes;
Neu Rex plectatur, quicquid delirat Achivus.

Joh. Packer, Coll. Eman. *Soc.*

VEre novo, quando flores oriuntur amæni,
Vergit in occaſum noſtra DUCISSA ſuum.
Miraris, cur ridet ager, cur ſpargit odores?
Exudat tali corpore pinguis humus.

Chriſtoph. Hatton, gen. Coll. Jeſ. *commenſ.*

SI tempus ſolenne monet Jejunia, tanto
Cur tua nos etiam fata dolore premunt?
Exhauſtos macie, donant lúctúſque faméſque
Nos veluti manes, manibus, *Anna*, tuis.
(Rex Scythicus tali deſcendit ad infera pompâ,
Quem fuit umbrarum mille ſecuta cohors.)
Et quoniam infelix morbo ſitiente peribas,
Extinguam bibulos flebilis ipſe rogos.
Nè deſint lacrymæ, lacrymas bis in ore refundam,
Effluet ínque oculos advena lympha meos.
Si tamen ex utero violas emittit aperto
Terra, quid Elyſium nunc placet ire nemus?

Nonne

Nonne juvat celeri volitare per aera cursu,
Cœlica quòd florum fragrat odore via?
Henrettam Maria præit, nunc *Anna* secuta est,
Ut Charitum in cœlo concinat ille chorus.
Infantes mater cœlo matura revisit,
Quos capit in gremio, jam minùs orba, suo.
Seu licuit pueros Joviales cernere: Matrem
Salvam stellarum syrmata longa jubent.
Implevêre domum Proles numerosa supernam
Undecimam, Matri sed manet una domus.

N. Stoakes, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

Τοῦ Μεγάλου Θυγατὲρ, παρακοίτι δὲ Μείζονος Ἀνδρὸς,
Ἐν σοὶ ἦντε πατὴρ ὄλβιος, ἐν σοὶ Ἀνὴρ,
Σὺ πλέον εἰν Ἀνδρὶς μάκαρες τεκέεσσι μὲν Ἄμφω,
Νῦν ὁ μὲν ἐν Ζῶσιν, τ' ἡ δὲ σὺν ὀλλυμένοις.

Ὁ Αὐτός.

PLangendum est iterum? Limite carminis
Conamur stolidè; carceris inscius
Est luctus, dolor & nesciit improbus
Omnino & numerum, & modum.
En vobis, Superi, solvimus annua
Inviti ante diem! Siccine lividus
Heu! nobis miseris invidet Angelos
Maturos nimiùm, Polus.
Quæ tandem capiet mansio cœlica
Grande hoc depositum? Cassiope suam

Sellam

Sellam deſeruit, ceſſit & alteri:
Conſcendit Dea dignior.

Milner, Coll. Sti Pet.

OCcidit *Eboraci* Conjux Ducis: Hei mihi! nuper
Fulſit in Arctoo quæ nova ſtella polo.
Ne nos mortales terrenâ in fæce quereamur
Cùm cœlo injiciat mors truculenta manum.
Uſque adeo nihil eſt, quòd duræ audacia mortis
Non petat inſultans, ſubjiciátque ſibi.
Extulit hanc Nympham fortuna, Ducíſque cubile,
Ut cœlo adſcriptum fidus, inire dedit.
Sed brevis in ſummo ſemper mora: claráque cœlo
Sidera ſub terras invida fata rotant.
Has toties optata exegit gloria pœnas,
Ut lapſu excelſæ res graviore cadant.
Sed magnum illa tulit pretium brevis hujus honoris,
In thalamos tanti ſponſa recepta Ducis:
Nam datur in tumulum ſcripſiſſe hinc, *Anna Jacobi*,
Quo titulo felix, viváque ſemper erit.

G. Good, A. M. Coll. Regal. Soc.

QUalis eras, cujus lugemus funera, Princeps!
Te cœlum, ſicut terra, beare ſtudet.
Hæc te lætatur, Regi qui proximus audit
Sanguine & imperio, nobiliſſe viro.

Illo

Illo te Sponſam Chriſtus, Perſona ſecunda,
Ambit, & in gremio geſtit habere ſuo.

Jo. Maſon, A. B. Coll. Eman.

FAs ſit Magne tuis noſtros Dux addere fletus,
Ingemimus propriis ſubdita turba malis.
Magna dedit nobis Conjux, majora Britannis
Non poterat, natos cùm daret illa tibi.
Nempe tui ſimiles auſa eſt oſtendere, curſu
Et queîs felici ſecula noſtra fluant.
In cœlos abiit, potuit non terra referre
Præmia, tanta dedit munera, tanta tulit.
Ergò Magna vale, ad ſedes properéſque beatas,
Convenit haud meritis gloria ſera tuis.

H. Maunſell, A. M. Coll. Regal. Soc.

OCcidit alma Ducissa! extremus & halitus oris
Vatibus inſpirat carmina mœſta ſuis.
Sic collabuntur magnâ cum ſtrage Coloſſi,
Inſolitóque replent cuncta fragore loca.
Solvimur in lacrymas; ſic ſtellæ flamma cadentis
Deſinit in guttas humidioris aquæ.
Subduxit nobis radios clariſſima Phœbe;
Fletibus abſumpti cum abeant oculi.
Sic querimur, noſtramque vicem ſic jure dolemus;
Extra fortunam eſt, neſcit & Illa mori.

Irruit

Irruit Empedocles Ætnæos vanus in ignes,
Gloriolæ fumis detur ut inde frui.
Ingenium ô hominis! quantò ſublimior Illa,
Quæ merita *æthereis* ignibus eſſe Decus?

Guil. Makerneſs. A. M. *Coll. Eman. Soc.*

EXhauſtas bello gentes, glebáſque feraces
Et pingues fuſo victorum ſanguine factas
Mittimus: Heu! Parva hæc: noſtros graviora cothurnos
Implorant. Quis enim populi dum mollia fæces
Otia traducunt, atque omnia diffluа luxu,
Non faſces ſalvos, illæſáque ſceptra putaret?
Quid Tu patrâſti (Princeps dulciſſima) dignum
Tam ſubito fato? vitium niſi forſan habetur
Felicis ſceleris varios vitâſſe Mæandros,
Sítque nefas terram numeroſâ prole beare,
Quæ vulgi lites compeſcens ſopiat æſtus,
Et pietate ſuâ collapſa redintegret æva.
Sed quorſum hæc refero? Properantem ſiſtere fuſum
Quis tandem valuit, rigidásve inflectere Parcas?
O En! manet una omnes & meluctabilis hora.
Ipſa rogum Dido conſcendit, quæque ruinam
Exitiúmque dedit tot gentibus improba Conjux.
Quíque olim queſtus mundi confinia noſtri
Arcta nimis, juſsítque Polos Sibi cedere, parvo
Ille jacet tumulo; nec enim valet aſpera fata
Rumpere, quicunque eſt ſublimi ſede locatus.
Felix ille ſatis qui famam extendere factis
Novit, qui picti pertæſus gaudia mundi

Geſtit

Geſtit adire novas excuſſo corpore ſedes.
Pandite cœlicolæ, veſtris allabitur oris
Talis ab Angligenis Hoſpes, renovate priora
Gaudia, & intranti pateſiant oſtia cœli;
Quò nunc defunctus caſu omni tempora fallit
Carolus, & Conſors jam tandem *Diva Maria*
Iratis olim fruitur Diis, preſsáque virtus
Purior elucet poſt exantlata peric'la.

Ja. Perkins, A. B. *Coll. Chr.*

DElaſſata diu repetitis Muſa querelis,
Heu! vix ad lacrymas ſufficit illa novas.
Deflevit poſtquam puerorum funera ſeptem,
In ſaxum Nioben diriguiſſe ferunt.
At marmor lacrymatur adhuc, Niobéſque dolores
Æterno luctu perpetuóque madent.
Si poſſunt igitur vel marmor fata movere,
Et fundunt lacrymas ſaxa vel ipſa ſuas;
Muſa, age, quin profer tua ſingultantia verba,
Lugubréſque ſonos, funereóſque modos.
Si foret in terris Heraclitus, cauſa fuiſſet
Continui fletûs quotidiana ſui.
Ergóne Mino-taurus adeſt? num Creta quotannis
(Heu!) centena ſibi funera dira rogat?
Quàm mitis fuerat vulgari funere Peſtis
Contenta! & quàm non Martis iniqua manus!
Scilicet & Peſtis rabiem, bellique furorem
Hæc ſola exſuperat plaga vel una Necis.

Tu verò, Heroïna, vale, caſtiſſima quamvis,
Mortis in amplexus heu male rapta fugis.
Heroïna, vale, quamvis fidiſſima Conjux,
Nunc tamen invitum deſeris ipſa virum.
Anna, vale; & poſtquam ſuperas conſcenderis ædes,
Cognatíſque tuis nobilis hoſpes ades;
Si fortè in cœlo Martis ſuſpenſa trophæa,
Et multa ipſius prælia geſta vides;
Ridebis ſpolia, & claros utcunque triumphos,
Et quæcunque ſuâ Mars gerit ipſe manu.
Hæc *Jacobus* agit, ſed & his majora peregit;
Jacobus, dices, hæc agit ille meus.
Marte uno tellus, & cœlum gaudeat uno;
Hic terras fratri vendicat, ille Polum.

Humfredus Newbery, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

Surculus *Eboraci* niveus cum ſtemmate rubro,
Ancipiti fato, prælia ſæva gerit:
Ecce rubeſcebat Roſa Pallida ſparſa cruore,
Albuit exhauſto ſanguine Purpurea.
Unitæ tandem Regalia ſceptra coronant,
Utraque jam victrix, utraque victa tamen.
Mitius imperium aſt nuſquam tenuiſſe videntur,
Quàm, Dux clara, tuis cùm nituêre genis.
Illic certantes exornat mutua palma,
Utraque dum regni gaudet habere parem.
Tandem, væ nobis miſeris! tu, Pallida, vincis
Extendens fines ambitioſa tuos.

Sed

Sed nec ovas victrix, parili quin strage perempta es,
Devictæ subitò tristia fata sequens.
Ambæ concordes tandem sic morte fuerunt,
Ac Dominæ decorant sic monumenta suæ.
Ambæ deciduum reparantes semine florem,
Haud dubiæ stirpis dant elementa nova.
Utraque felicis nunc intertexta coronæ
Fascia, cœlestes ornat odora comas.

Edv. Goodall, A. M. *Coll. Regal. Soc.*

Μῆνιν ἄειδε Θεὰ μάλα μαινομένης Ἀτρόποιο
Οὐλομένην, ἣ πολλὰ Βρεταννοῖς ἄλγε' ἔθηκε,
Πολλὰς δ' Ἡρώων ψυχὰς (θυμὸς δὲ ἀφειδὴς
Ἐν στήθεσσιν ἔην) πότμῳ ὀλέεσκε στυγηρῷ.
Πρῶτον ἀμειλίκτοις παρέπειρεν Ἄνακτος ἀδελφὸν
Θέσκελον οἷς βελέεσσι· τῷ ἦν μινυώριος αἰὼν
Οὔνομα δ' ἀθανάτης τηλέκλυτον ἔλλαχε τιμῆς.
Ἠδ' ὅτε μαρναμένους θωρήξατο ὄμβριμος Ἄρης
Λαοὺς, οἳ δὲ θοὰς θρασέως ἐπὶ νῆας ἔβαινον,
Δύσμοροι αἱμαλέῳ πολέμῳ Ἥρωες ὄλεσσαν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ παύσαντο μάχης, οἶκον δὲ νέοντο
Ἐς φίλον, ἡγεμονεὺς περὶ πάντων ἔξοχος ἄλλων
Δεινὰ πολυφλοίσβοιο θαλάσσης κύματ' ἐνίσχων
Ἐνδομύχοις πανάποτμος ἑοῖς ὤλεσσε ῥεέθροις·
Οὗτος ἐπεὶ πολλὰς ψυχὰς ἀΐδι προΐαψεν
Ὀλλυμένων, αὐτοὺς δ' ἑλώρια πᾶσιν ἔθηκεν
Ζώοις ὑγροπόροισι, δαμάζετο κηρὸς ὀϊστῷ.
Τουτονὶ ἡγεμονῆα ὁμοιΐος εὔνασε πότμος
Κλαυσάμεν' ὑστατίην τάχ' ἀπολλυμένης βασιλίσσης

Μοῖραν ἐϋπλοκάμου, ἣ ἑπτεὶ τέκε θρέψε τε τέκνον
Ἀμφότερον βασιλῆα μέγαν, κεραπερόν τ' αἰχμητήν,
Κάτθανεν ὑπαμένη πικερῆς θανάτοιο βέλεσσι.
Τῆς ὃ τάφῳ ζοφερῷ ὑ δὴν φίλα γυῖα λέλυντο
Γρῖν πάλιν αἰνὰς κῆρα βλῆναι, κ' πθνάμεν ἄλλῳ·
Ἡ ὃ πολυκλείτοιο διοτρεφὲς αἷμα ἄνακτος.
Καλλιπάρῃ θ. ἔγκοιτε γυνὴ· θρηνωδεῖ κλαυθμῷ
Ἐκκομιδαὶ τελέοντο. Καὶ ὐκ ἔτι παύσατ' ὀδυρμός.
Ἕως πότε δυς-ήνεμος κὴρ φερκτὴ κλαυθμὸν ἐφήσῃ
Πένθεσι τρεομένοις; Ἀγγλοις; Ἐχάραξε παρειὰς
Δάκρυα δὴν ἄμμων· ἀλλ' ὑ κρυερὸν γόοιο
Χρὴ ἔτι παύσαθ. Ἀλεγεινὸν ἀφῆκατ' ὄλεθρον
Κὴρ πάλιν αἱμοχαρὴς, ἡμῖν ὃ τὸ πένθ. ἄλαστον.
Γαῖα ὃ Ἀγγλικὴ ὀλιγοχρονίοισι σκήπτοισι
Ἀρκεθεῖσα πάλαι, νῦν μὲν ζοφερῆσιν ὁμίχλαις
Πάντως συγκέκυται, ἐπεὶ ἀγλαὰ φῶτα ὄλωλεν.
Ἠδὲ κ' αἰδίοις ὀρφναις κεκδυμμένοι εἶμεν
Ἐι μὴ ἀγακλῆτον Καίσαρα βασιλῆα ἔχωμεν.

EN! iterum redeunt gemitus, ſuſpiria, planctus,
Exuit & plumas nobilis Aula ſuas.
Mors furibunda ſuis nondum contenta triumphis,
Promovet imperii ſceptra ſuperba ſui.
Fronte iterum repetit regalia tecta rebelli,
Altera ſic tandem victima grata cadit.
Novimus obtectas, abrepto vortice, ſtellas,
Quæ tamen orbe novo ſæpe nitere ſolent.
Undique ſic denſis maculis hæc tecta videtur,
Candida dum tumulis membra ſepulta jacent.
Nec tamen ipſa perit, tantùm periiſſe videtur,
Fulgida mox rutilum ſparget ubique jubar.

Craſsâ

Crassâ hâc materiâ tandem spoliata, nitebit
Vortice *nobilior splendidiórque* novo.

T. W. Sid. Suss. Coll.

SPeravi nostris tandem posuisse querelis
Solitísque luctibus modum;
Cùm tibi prole novâ nuper revocata superbit
Lucina præses partubus:
Incepi plures ejusdem optare monetæ;
Beata, dicens, Anglia,
Cui Rosa vere novo Regali germinat Aulâ,
Gentem usque ad invidiam beans!
Felix veris honos! pretium & meruisse videtur,
Quòd rarior talis datur.
Sed damnis emitur, quem mittunt fata favorem,
Dolosa cùm blanda nimiùm:
Atque in nos fraude hâc notas meditata rapinas,
Quò sæviùs ludant miseros.
Sic dum avidè cupimus, gratísque amplectimur ulnis
Pignus favoris maximum;
Erepta est nostris manibus, quæ prole frequenti
Cœlum beavit & Angliam:
Erepta est, nostras quæ nuper visit Athenas,
Quæ jure Pallas audiat;
Nam placidò aspectu, præsentíque ore, repentè
Vates creando nos fuit.
Libera jam cœlo spatietur Diva, nec umbram
Vincire fas sit carmine.
Et posthac Elegis infelix Musa soluta,
Heroas æquo pede canat.

Nam

Nam, fato tessellato, natalibus ætas
Magnis fruetur proxima,

Nicolaus Batteley, A. B. *Trin. Coll.*

SPerno leves Musas & Numen inutile Phœbi;
Musa mihi dolor est, luctus Apollo mihi.
Néve aqua defuerit, nostris quæ sacra Poëtis,
Undantes lacrymæ fluminis instar erunt.
Mille fluunt lacrymæ, nec sat sunt mille, marini
Vix (mihi crede) tumens sufficit unda vadi.
Occubuit pietatis amor, virtutis amica,
Stelláque præfulgens *Eboracensis* agri.
Hæc tamen interea cœlestes advolat oras,
Et radio gemmis lucidiore niter.
Stella Jovem cinget, si mens præsaga futuri,
Mox, Galilææ, tuo conspicienda tubo.

Johan. Bowyer, Coll. Regal. *Soc.*

In Serenissimam Principem ANNAM
Ducissam EBORACENSEM
Epitaphium.

COnjux *Jacobi* Magni EBORACI Ducis,
Secunda forma post *Catharinam* CAROLI,
Viator, hæcce qui monumenta perlegis,
Desiste, sapiens, marmori lacrymas dare,
Quòd hoc DUCISSÆ contigerit humanitus.
Nisi forsan immortalitatem volueris,
Non est quòd in muliere plus desideres.

In

In Eundem.

PRinceps, ingenio, virtute, & munere formæ
Digna Duce, & noſtri gloria rara ſoli.
Majores thalamos niſi *Portugallia* ſtravit,
Terra alia invidiam nulla movendo fuit.
Inſula turbetur genitrix tua, Diva, neceſſe eſt,
ANNA ſit ut tædis altera juncta Ducis.

F. Curray, A. B. *T. C.*

SIccine perpetuâ rerum vertigine fertur
Anglia? Sic Parcæ regia fila ſecant?
Gaudia quòd nunquam nobis ſincera propinent,
Læta ſed intexant miſta dolore pari?
Heu nos bis miſeros! iterato læditur ictu
Regia ſtirps; cadit hinc Mater, & indè Soror.
Jam pede non æquo mors régem inopémque repoſcit,
Pulſat regales crebrior illa fores.
Hos tantùm terræ dignantur fata Britannæ,
Ut videant CAROLI ſceptra repoſta manu.
Quo facto nil majus habet cùm terra videndum,
Divorum meritò tunc petière domos.
Accedant igitur tandem pia vota dolori;
Qui fundit lacrymas fundat & ille preces:
Ut quantò plures ramos mors amputet, arbor
Regia plùs vigeat, creſcat & indè magis,
Quótque immaturis fatum præciderit annos,
CAROLE, tu tantò ſeriùs aſtra petas.

Simon Sayon, Coll. Regal. *Alumnus.*

Eheu

EHeu! ſeveris humida fletibus
Effundis acres Anglia næniας,
Effundis (ah! quis lacrymarum
Sit modus?) aſſiduo tenore?
Paſſim per ædes buſta Quiritium
Jactata, triſtes & procerum rogi:
Ceu Memphis oſtentat ſuperbas
Anglia pyramides, tholóſque.
Dulcis Minervæ nuper in agmine
Vernantis ævi culmine vidimus
Stantem DUCISSAM, at nunc acerbo
Præcipitem cecidiſſe fato.
Vitæque Parcæ ſtamina præpetes
Rupere vix cœpta; occidis, occidis
Illuſtris, ut quondam procellis
Exanimes cecidêre cedri.
Quid mors ſuperbo pectora turbine
Inſana victrix ſurrigis? inferens
Terris triumphales cupreſſus,
Et mutilas ſine fronde taxos.
Ac heu dolendum! ſumere victimam
Temnis popelli, temnis & infimos
De plebe maneis; ſæva ſpargis
Solùm animas Procerum per aras.
Mentis pudicæ en candor, & indoles
Firmata Divûm ſub penetralibus,
Cultúſque Regalis Mariti
Fixa locant monumenta terris.
Fruſtra at triumphos, Eumenides feræ,
Pæana fruſtra dicitis aſperum:
Tradit rogis nil præter artus
Exuviáſque animæ fidelis.

Poſtquam

Poſtquam ipſa letho purpureos ſuos
Conceſſit artus; quod ſupereſt ſui
Puras poli ſcandit curules,
Atque tuos Cynoſura gyros.
Nunc ô beatis ſepta cohortibus,
Terris negata en cælica diceris
Regina; nè deſit corona
Sideream redimire frontem,
Te fas, piúmque, & juſtitiæ comes,
Quocunque ſacros dulcis agis pedes,
Candor coronat, te fidelis
Propoſiti ſtudioſa virtus.

TE fruſtra in lacrymas ſolvis, luctúque laceſſis
Felices jam conjugis umbras.
Ah Tantam nè crede mori, dum funere acerbo
Demerſam (Dux inclyte) cernis.
Ante diem raptæ vivunt poſt funera; vates
Perpetuos dant carmine faſtos.
Ergo abſint lacrymæ; ſatis eſt, cui fata dederunt,
Æternis mutare caduca.

Joh. Galkarth, A. B. *Aul. Pem.*

ERgo frequens Aulâ nondum eſt mors Auliça facta?
Illius ad mores ficta nec eſſe poteſt?
At dudum ficta eſt, dudum macreſcere cœpit,
Matrona, (heu!) meritis excruciata tuis.

Splendore ipsa tuo tam justo inæbuit, unde
Visa fuit similis, pallida facta, sibi.
Nobis Te invidit, nostris successibus ægra,
Nè posses plures ipsa dedisse Duces.
Sed quid opus luctu nostro? squaloribus omne
Induitur cœlum, Te moriente, suis.
Nè tellus ingrata foret, nec fleret, abundè
Quot nubes lacrymas expediere suas?
Verùm Aulâ in propriâ nec *Carolus* ipse Monarcha est?
Hîc mors imperium vendicat atra suum?
Cùm tales pereant, quid morti non licet? olim
Sic cœlo indixit saucia Diva metum.

Guil. Fegon, Coll. Regal. *Alumnus.*

SIccine perpetuo placet exercere dolore
Regalem, Superi, stirpem? superaddere clades
Cladibus, ac nullo lugubria funera fine
Flenda piæ plebi? an nondum desæviit ira
Vestra, sed in tantas pergit prorumpere strages?
Nos non inviti graviter peccâsse fatemur,
Et meruisse iras repetito crimine summas:
Ast hoc cur lueret *Carolus*, *Carolóque* propinqui?
Quid tamen incusas sanctissima numina cœli?
Siste, ô Musa, procax; pœnas nos pendimus omnes,
Præcoce cùm fato cecidit *Carolinæ* propago;
Et tantas clades meruêre piacula gentis.
Nempe per hæc primùm prærepta est Regia Mater,
Pérque eadem accelerata Invicti fata *Georgi*,
Quæ sunt visa Ducem timuisse, aut lædere corpus.

Eru-

Erubuiſſe ſacrum; pérque hæc divina DUCISSA
Aureliæ, *Carolique* ſoror chariſſima Regis
Tam ſubitò extincta eſt; uxórque pudica *Jacobi*
Principis, iratis cecidit modò victima Divis.

Rich. Cuſs, A. M. *Coll. Eman.*

NOn lætum cantare tibi Pæana licebit,
Clio, ſed triſtis nænia in ore ſonet.
Et tua ſit facies mœſto ſulcata fluento,
Ut pendas roris ritè tributa tui.
Sæva manus mortis quoties devenit ad Anglos
Heu miſeros, toties nobile ſtemma cadit.
Henretta binæ Charitum cecidere, ſequuta eſt
Completum ut numerum redderet ANNA trium.
Aſpera quàm fata, & noſtro nimis invida ſeclo,
Hanc non maturos paſſa videre dies!
Sed parcat lacrymis, & luctibus Anglia, multum
Terra dedit, cœlum ſed meliora dabit.

Car. Nodes, Coll. Regal. *Alumn.*

EGremio terræ cùm ver naſcatur amœnum,
Scilicet uſque Anglos triſtior urget hyems?
Uſque ſuo devincta ſtupent ſic frigore membra,
Cætera cùm reduci ſole ſoluta vigent?
Mater ovat tellus, lætè te raptat in ulnos,
Dulcior amplexu fiat ut illa tuo.

Jam flores meritò suavésque exhalet odores,
Nam fragrat certè pulvere & ipsa Tuo.
Vérque licèt moritur, vivit, moritúrque vicissim,
Perpetuum in Tumulo est, Magna Ducissa, Tuo.
Ut tumulo flores riderent lætiùs illo,
Quisque suos imbres mittat ocellus aquæ.

Matth. Kirby, Coll. Regal. *Alum.*

ERgo iterum squalet charósque Academia alumnos
In luctum revocat funere mœsta novo?
Quis tantus penè exhaustos turbavit ocellos,
Complevítque novis questibus ora dolor?
Scilicet augustæ spes fœcundissima gentis,
Quæ tot de sacrâ pignora stirpe dedit,
Concidit assiduo pariendi fessa labore,
Dum proli impendit vitam animámque suæ.
Ah! tandem ô Superi, (si quid mea carmina possunt)
Servate extremum parturientis onus:
Servate amissæ pulcherrima germina matris,
Et patriæ gemitus ista propago levet.

Ed. Peck, A. M. *Coll. Regin. Commensal.*

Epi-

Epitaphium Illustrissimæ Principis ANNÆ *DUCISSÆ* EBORACI.

SIste, Viator, iter; cernis lacrymabile bustum?
Aggeme, sic nullis causa doloris eas.
Hæc sacrâ tellus decoratur Principis urnâ,
Cui diadema nitens invida fata negant.
Has terras, ubi fastus habet sua regna, relinquit,
Major & à tristi fertur in astra rogo.
Inter sceptra Deûm graditur, terrestria spernens,
Atque aliquid majus Conjugis ore videt:
Nam non passa diu tantas vilescere dotes
In sedes dignas fata tulêre Ducem.

Guil. Borlase, Coll. Regal. *Alum.*

USque adeò exultat Lethum! duræque sorores
Versant crudeli pensa severa manu!
Henrettam primâ Parcæ rapuêre juventâ,
Luctus & Europæ publicus ille fuit:
Nec tamen hâc tantâ satiatur cæde, sed ultrà
Sanguine Regali gaudet avara lues.
Proh scelus! ecce novos celebrat Libitina triumphos
Et repetit notas, docta necare, vices.
Occidit insignis formâ & virtute DUCISSA,
Delicium cœli, Conjugis, & patriæ.
Sufficiat duri repetita injuria fati,
Sit miseris toties jam periisse satis.

ANNAM

ANNAM quid flemus? quia mortua? fallimur omnes,
Hoc ipſo incepit vivere, quòd moritur.
Mortalis fuerat, mortalis deſinit eſſe;
Ut nunquam poſſit, debuit illa mori.

Joſ. Gulliver, Aul. Pemb. *Alumn.*

In obitum Illuſtriſſimæ DUCISSÆ EBORACENSIS, *ad Calendas* Aprilis *vitâ defunctæ.*

JAm licet, Aprilis, pluvias diffundere totas,
Et poſſis fletûs prodigus eſſe tui:
Æmula Cyprinæ cecidit Venus altera Divæ,
Et longùm Marti diſſociata ſuo eſt.
Optima diſperiit Princeps, neque ſola perivit,
Sed multo gravidum funere funus erat.
Perdidit hic ictus plures, atque obruit unà
Neſcio quot claros vel rogus iſte Duces.
Divinam dudum prolem *Berecynthia* noſtra
Alma tulit, plures mox paritura Deos;
Vita ſed his etiam dempta eſt, raptúq; DUCISSÆ
Claudit vitales invida Parca vias.
Sic noſtros etiam pertingent Fata nepotes,
Terráque jacturæ conſcia ſemper erit.
Nec mirum eſt, modico non ſufficiente dolore,
Si cœlum in lacrymas, totus & orbis eat.
Luctibus indulget noſtris tempúſque, Deúſque,
Debitus in fletum non niſi menſis erat.

Nec

Nec temere à terris Princeps hoc tempore cedit,
Ad Superos madidum carpere gestit iter.
Scilicet ut vivens fuerat Fidissima Conjux,
Conjugis exemplum vel moribunda premit;
Ipsa per immensos cœlos ascendere nimbos
Gaudet, & in mediis Ille triumphat aquis.

Hezek. Horne, Coll. Regal. *Soc.*

VEre novo sylvæ frondent, & parturit omnis
Arbor, & ornatur floribus omnis ager.
Sed mirum est, ut cùm florescant cætera cuncta,
Tot casus homines Fata subire jubent.
Est verum hoc, ὅιον φύλλων γένος ἠδὲ καὶ ἄνδρων,
Vere tamen placido germina nulla cadunt.
ANNA, tuam deflens mortem natura negavit
Reddere, quas semper debuit illa, vices.
Deflet te cœlum, te mundus luget ademptam,
Forma prior veris te pereunte perit.

Priest, Coll. Regin.

יופי ארץ איבה נפלת
בחצי ים יך כן פקדת
לא אל שערי מות לקחת
אך מן הש מים קבלת
אם נופך ל ארץ מסרת
הן נשמתך אל אל הפקרת

פתחי

Epicedia Cantabrigiensia.

פתחי כבוד ורן פתחת
וערן ח בצלת באת

Nath. Vincent, A. M. *Aul. Clar. Soc.*

MIttit *Iäcobus*, quam mallet ferre, salutem,
Si modò fata velint, chara DUCISSA, Tibi.
Quid tibi, quòd tanto commota furore recedis,
Egimus? an nostro crimine læsa fugis?
Scis bene, quòd sociam de tot modò millibus unam
Te legi, summo captus amore tui.
Nec, mihi dum fueras tedâ conjuncta jugali,
Mutatis facibus, carior ulla fuit.
Hósque mihi tribuis fructus? Hunc reddis honorem,
Quamprimum poteras, deseruisse virum?
Sin fuga juvit, eò fugiendum erat, unde redires,
Quando scias abitum me gemuisse tuum.
Non facis, astra petis, *vestigia nulla retrorsum*,
Aula Deûm spoliis crescit opima meis.
Me miserum! quantis ululatibus intonat æther?
Usque per indignas imbre cadente genas.
Te solam recolo, te somnia nostra reducunt,
Sed non vera satìs gaudia somnus habet.
Sæpe polum tristi circundans lumine, dico,
Quæ fulget cœlis, nostra DUCISSA fuit.
Sæpe tuos nostrâ cervice onerare lacertos,
Sæpe tuæ videor supposuisse meos.
Nec tamen hæc prosunt tantos lenire dolores,
Nil mihi, te demptâ, conjugis instar adest.
Diis utinam visum, fato ut properante, videret
Una dies vestrum funus, & una meum!

Dii tamen hoc renuunt, ſed adhuc renuentibus ipſis,
Te, precor, ut minimâ ſubſequar ipſe morâ.

Carol. Tremain, Aul. Pem.

SIqua manet ſacris Muſarum fontibus unda,
Non penitus miſeris luctibus hauſta priùs;
Effluat in noſtras non parco flumine chartas,
Et lacrymas pergat ſuppeditare novas.
Hei mihi! non indè eſt opus his, triſtiſſima fletûs
Copia non ceſſat ſponte rigare genas.
Cùm tibi funerei veniant tot, *Carole*, luctus,
Lumina cui poſſint imbre vacare pio?
Heu! Fratrem extinctum, Matrem, charámque Sororem
Non ſatìs eſt *Anglos* condoluiſſe tuam?
Pergit adhuc, diróque ruit mors atra furore,
Ac renovat gemitus cladibus uſque novis.
Plangore ad cœlum reſonat gens mœſta, dolores
Ingeminans, hoſti Dux metuende, tuos.
Quod tibi par threnum, cui triſtia fata gemendo
Funere conſortem diripuere tori?
Uſque adeò exemptum nihil eſt à jure ſepulchri,
Quicquid habet magnum terra, bonúmve, rapit.
Illa jacet fœcunda Ducum, Domina inclyta, ſatrix,
Tempora quam ſerâ poſteritate fleant.

Hen. Archer, A. M. *Coll. Eman. Soc.*

QUaliter immani mixtus cum fulmine turbo
Præterit illuſtri non digna arbuſta triumpho.
Sed nemoris ſternuntur opes, & gloria ſylvæ
Ingemit à Boreâ concuſſo robore quercus,
Præcipitéſque ruunt non uno vulnere Cedri.
Sic vibrare ſuas crudelia fata videntur,
Sic torquere faces, gelidæ & venabula mortis
Figere, & infauſtam ſic exhaurire pharetram.
Stat vulgi firmata acies, peditúmque phalanges
Intactæ ſine clade manent, atrocia ſolos
Conficiunt equites & dextrum prælia cornu.
Sed quem conſpicuum virtutis gloria fecit,
Si natura ſuas addat minùs invida dotes,
Ingeniúmque animos exornet, forma venuſto
Grata micet vultu, vel in altâ ſplendida ſtirpe
Majeſtas vigeat, trabeæque, ſacræque curules,
Et multi in claro numerentur ſtemmate faſces;
Confeſtim immiti hunc Nemeſis truculenta veneno
Inficit, & rabido penitus deglutit hiatu.
Hæc igitur miſeri capimus ſolatia lethi,
Diva, quòd ex illo cineri nova gloria creſcat:
Scilicet in dubio velocia fata relinquunt,
An Te vita magìs, vel triſtia funera laudent.
Nec tu jam poteras inopinæ victima ſortis
Tam matura mori, niſi tam bene vixeris olim,
Ut merita ultricem virtus videatur Erynnim.
Talis erat pietas ANNÆ, tam juſta pudoris
Temperies mentem excoluit, ſic gratia formæ
Emicuit pulchræ & major reverentia morum,
Ut mirabundus virtutum pectore in illo
Credideris coiiſſe choros, totámque recludi
Palladа, fœmineæque decus prælustre catervæ.

Inſignes

Inſignes iſtæ dotes excelſa mereri
Pectora, & illuſtres poterant ornare tiaras.

A. Spinedge, A. B. *Coll. Jeſu Soc.*

SI poſſint ægris lacrymæ præbere ſalutem;
Afflictis fletus ſi dare poſſit opem,
Ipſe etiam fletu faceret tibi funera Pæan,
Ingemeret mortem, clara DUCISSA, tuam.
Ipſæ te Charites, ipſa heu! te numina Pindi,
Ipſa etiam laceris fleret Hygia comis.
Damnarétque ſuos Medicina ingloria ſuccos,
Siſtere queis lethi non valuiſſet iter.
Quando igitur potuit nullam ſperare ſalutem
Princeps, *Henrettam* dixit ad aſtra ſequar.

Tho. Goad, Coll. Regal. *Alum.*

A Proprio noſtrum ſic ſidus ab orbe revulſum?
Et noſtri *Solis* non comes uſque *Venus*?
Cœlorum decus æternum! quibus eſſe ſodalis
Digneris ſtellis, tam cupienda polo?
Clariùs adjecto *Carolinum* ſidere plauſtrum
Fulgebit, radiis auctiùs atque tuis.
Sidere quæ donat terras, hanc ſidere cœlum
Donabit; nec lex juſtior eſſe poteſt.
Principibus tot fœta viris, tot fœta DUCISSIS,
Aſcendit cœlos aſtra datura Jovi.

Epicedia Cantabrigiensia.

Ad Ipsam jam morituram.

EN tibi panduntur tua sidera, ferreus urget
Somnus, & æternâ lumina nocte premit;
Sed lætare, Virum fata urgent linquere fortem,
Esse comes MARTI non potes, esto *Jovi.*

Epitaphium in Eandem, ad Viatorem.

ILla DUCISSA jacet, decus olim, nunc dolor orbis,
Hoc marmor, *Clarum* quicquid in orbe, tenet:
Da tumulo lacrymas, & saxum sæpe cadendo
Ostendas lacrymas posse cavare tuas.
Ex oculis nostris si non suffecerit humor,
Non cessent mortem marmora flere suam;
Si fortè arescat lacrymantis marmoris humor,
Ipse ego, ni valeant marmora, marmor ero.

Joann. Mason, Aul. Clar. *Alumnus.*

LUcifer unde diem properas? tua lumina cessent;
Nostra *Venus* radiis vel dabit absque tuis.
Nam solet *Hispano* priùs ignes mergere *Phœbus*
Gurgite, at *Angliaco* jam madet ille freto.
Attonitúsque alium contra se surgere solem,
Herculeas nostro fixit in orbe *Notas.*
Exere stella caput jam clara *Britannica*, cunctis
Suspicienda micet flamma coruſca plagis;

Præque

Præque diem venias ſolitam, nè neſciat orbis
Te, ſine ſolari lumine, luce frui:
Phœbeæ toties victo Ortu cedite palmæ,
Anglia ab Occaſu plura trophæa parit.

Obadias Collinſon, Coll. Regin.

INdue lugubres orbata *Britannia* veſtes,
Mœſtáque ferali cingantur tempora vittâ;
Squalentes convelle comas, nec priſtina vultum
Gratia, nec ſolitam circundet gloria frontem.
Auſpiciis nil fiſa tuis aliena dolori
Pabula quære gravi, fluviósque & Naiadas omnes
Ad lacrymas accerſe tuas, precibúſque fatiga
Cæruleum Tritona Deum, qui Nerea totum
Advocet, & blandâ circumſonet æquora conchâ.
Quicquid id eſt quod lympha audit, quódque unda vocatur,
Confer id ad lacrymas, madidæ & ſolennia pompæ.
Fruſtrà (crede mihi) tot funeſtata ruinis
Albion, & lapſis jam *fortunata* vocaris
Inſula divitiis; fuit hæc tua gloria quondam
Placatos habuiſſe Deos, rigidóſque ferarum
Eumenidum flexiſſe animos, & amica benigno
Reſpexiſſe diu lætiſſima littora vultu
Sydera: felicem ſed nunc te ducere vitam
Dii prohibent, & fata vetant, atque aſtra maligna
Intentant irata faces; vix unica lavit
Stella, ſed à toto damnaris ad ultima cœlo,
Nec niſi nomen habes titulúmque umbrámque *Beatæ*.
Nobilis exhauſtis veluti decoctor acervis

Ad

Ad genus & proavos, exésaque saxa recurrit,
Distat & à tenui solo jam stemmate vulgo.
Quid juvat extremas *Aquilis victricibus* oras,
Aut freta felici longinqua domare carinâ?
Quid valet ignotos transferri signa per orbes?
Et loca devinci sub utroque jacentia Phœbo?
Dum patimur tam sæva domi; dum Parca cruentam
Nunquam explet malesana sitim; sed tabe recenti
Sordet, & effuso nondum satiata cruore
Continuâ miseros funestat clade Britannos.
Nec bello contenta diu vastâsse nefando
Omnia, & humanos insanis fluctibus artus,
Et feciſſe Anglos rapidis ludibria ventis,
Et vacuum laceris lusisse per aëra membris,
Nec morbo saturata gravi qui cuncta vorabat,
Ac desolatos urbes mutavit in agros;
Mœsta locum densis dum vix dedit insula bustis,
Totáque squalebat communi terra sepulchro:
Pergit adhuc renovare luem, pertæsáque turbam
Ignotam, & spretis humili de plebe triumphis,
Infestat scelerata Aulas, atque atria Regum
Pulsat, & Ausonii mores imitata Tyranni
Regales animas, ac summa papavera carpit.
Dii *Gabios* nostros rapido tutentur ab hoste
Neu reliquos perdant Proceres, ultráve ferocem
Tarquineam sævire sinant; Dii numine fervent
Carolum, & illustri viduatum Conjuge Fratrem:
Nè vaga jactetur sublato remige puppis,
Aut in arenosas impingat naufraga Syrtes.
Sin fati decreta vetant, & nostra merentur
His plecti peccata malis, nos dira fatigent
Fulmina, & aggesto viles redimamus acervo

Cæsareum

Cæsareum *sanctúmque* rogum: sin surda recusent
Has audire preces, trepidíque occurrere votis
Numina, & has nostris renuant avertere clades,
Patritiáque humili depellere strage ruinas;
Sors eadem cunctos maneat, luctúque molestam
Claudere communi patiantur funere vitam;
Nec languere sinant, pulsóque diutiùs orco
Vivere semianimes, orbámque videre senectam.
Vulnera prima suis nunquam carnêre querelis,
Mœstitiámque omnes latè sparsêre per oras
Damna priora gravem; nec plus sævire putares
Infensos potuisse Deos, hominúmve caducas
Vires posse pati. Sed si tamen ista velimus
His conferre malis, & in æquâ expendere lance,
Suppetit unde aliquis favor & clementia Divûm
Fulgeat, & facilem nacti videamur Olympum.
Mœsta bipartitos cùm sensit *Gallia* luctus,
Ac traxêre duas eadem suspiria gentes,
Quàm gravis ista dies! misenis quàm tecta querelis
Horrida! Et atroci quàm fœda Palatia lessu!
Sustinuit nigro certatim in dramate partes
Majestas populúsque suas, parilíque tenore
Plebs gemuit, lacrymísque sacrum Diadema madebat.
Atque impar tanto visa est gens una dolori.
Hìc tamen ipsa dabat propriam jactura medelam,
Præbuit & rebus placidum solamen iniquis,
Non solos extrema pati, solósque Britannos
Infelix audire genus, fatíque cruentas
Delitias, durique nefanda piacula sec'li.
Cùm petiit magnus pallentes *Georgius* umbras,
Succubuítque Atlas per quem stetit Anglicus orbis,
Per mare qui patriam fovit, per saxa, per ignes,

Et

Et noſtram aſſeruit per mille perić'la ſalutem:
Quàm citò languentes exanguis perculit horror?
Quàm citò per medios gelidus tremor ingruit artus?
Clauſerat ora dolor, ſiccis vox faucibus hæſit
Segnis, & attonito defixa eſt lingua palato:
Deriguêre omnes, erectum quiſque cadaver
Exhibuit, hominóſque putes in marmora verſos.
Credideris CAROLUM (quæ Dii tamen omina vertant)
Deſeruiſſe ſuos, ſuperóſque adiîſſe Penates.
Hunc tamen, heu quantum! lenit minuítque dolorem
Tarda quòd extremâ paſſa eſt Libitina ſenectâ
Maturum canere Ducem, nec ſtamina morbus
Imberbis, rigidíve ſcidit violentia ferri.
Venit ad optatam ſtimulatrix gloria metam,
Nec fera nolentem raptim traxiſſe videntur
Fata, ſed ad cœlum facilis natura vocâſſe.
Huic aliqua eſt cladi medicina ex clade reperta,
Ipſéque *Achilleum* ſanavit vulnus *Achilles*.
Sed tu ſæva nimis crûdeli extincta feretro
ANNA jaces, medicámque aufers à vulnere dextram;
Non tua jam virtus, non ætas, forma, decórque,
Non thalami genialis honos, non pronuba Juno,
Quémve amor & ſtabili tibi connubialia nexu
Numina junxiſſent, à primo proximus Heros,
Pulchellíve Duces, queis plurima mater in ore eſt,
Spes ac tergemini ſuaviſſima pignora ſceptri,
Non CAROLUS, Divis cognatum nomen & aſtris,
Præcipitem tardare necem, fative rapaces
Protelare manus potuit, vel iniqua Britannis
Numina, & infenſos valuit placare Penates.
Sed cadis ah! cunctis fruſtrà revocata querelis,
Nec tua te Dominam ſervavit blanda cadentem

Forma, nec egregiis animus virtutibus auctus.
Tartareæ ſedes & inexorabilis Orcus
Expectant, poſcúntque ſuam Plutonia Divam
Littora, & inſtantis pulcherrima victima fati
Pergis ad umbroſas nunquam reditura paludes.
Quæque aliis dotes toties prodeſſe ſolebant,
Quæ vulgi traxere oculos, animóſque vocabant,
Auguſtámque diu nitidæ fulſere per Aulam,
Quæ ſtravere *Ducem*, nec Majeſtate minores
Faſcibus aut multis victæ ceſſere tropæis,
Hæ tibi maturam Nemeſin, tibi funus acerbum
Conciliant, veteréſque jubent renovare dolores
Jam propè confectam crudeli vulnere gentem.
Scilicet exiguis vix jam datur ire ſub umbras,
Sed petit exequias tales, & funera tantæ
Principis, ac prædam venatur Erinnys opimam,
Et fremit, & ſpoliis exultat onuſta ſuperbis.
Si poterat virtus poſt fata manere ſuperſtes,
Aut animi divina acies ex carcere craſſo
Emiſſa has fæces atque has habitare tenebras,
Et perferre novas vel ſic laxata catenas,
Exhibitura ævo decus atque exempla futuro;
Quàm tua Tiſiphone contemnere bruta liceret
Fulmina, & abjectam ridere & ſpernere mortem!
Mens eadem atque animus diverſâ in ſede maneret,
Et pro ſollicito qui nunc habet omnia luctu
Ad varias migrare domus, mutatáque poſſet
Atria, & abreptam ſecurus quærere mentem,
Inque novo veterem virtutem agnoſcere vultu.
Stant ædes, titulíque manent, fundíque ſuperſunt;
Nummoſíque arcis *ex aſſe* relinquitur *hæres*;
Sola animi fax pura fugit, víſque ignea mentis

Avolat, ac tenues properat festina per auras.
Quíque *Heros* vivit, patriæ columénque decúsque,
Mortuus, est nomen tantùm, ac deforme cadaver.
Clauditur exiguâ dilectum corpus in urnâ,
Et peritura tenet periturum chartula nomen.
Oh! quibus exequiis decet has ornare ruinas?
Quali tanta decet comitari funera planctu?
Parcas, *Diva* (precor) tenuíque ignoſce dolori;
Neve pares lacrymas, fatíſque æquata nefandis
Flumina, ſed modicos, quales damus, exige fletus.
Majores tua buſta petunt, & noſtra parabant
Vota; ſed ex longo fletu jam flere recuſant
Lumina, & ex luctu perierunt ſigna doloris.
Quo mœrore tuum tulit *Alma Academia* fatum,
Præteriti plauſus, feſtiváque gaudia monſtrant,
Contigeras noſtris cùm tu gratiſſima Muſis
Hoſpes, & has fueras vultu dignata Camœnas.
Nec brevis eſt, & cum facibus pompâque celebri
Luctus, & atrato gemitus moriturus in anno;
Sed velut amiſſum toties quæ plorat *Oſirim*
Ægyptus, totiéſque ſuum gemebunda *Serapin*
Quærit, & attonitâ plangit pia pectora dextrâ.
Sic tua lamentis reſonabunt funera noſtris,
Æternúmque novos tumulo ſpargemus honores.
Turba velut præſens planget quoque poſtera vatum,
Perpetuóſque dabit ventura Academia Myſtas.
Quin noſtra *Iſiacam* vincent ſuſpiria *Memphin*,
Et tua plorantem ſuperabunt fata *Canopum*:
Illâ etenim gemitus duríque gravamina luctûs
Deponente, Deo poſt tædia longa reperto,
Flebilis in lætos mutatur ſcena triumphos,
Et celebrat reduces lux exoptata choreas.

At nos heu! fruſtra latitantem in ſidere Divam
Quærimus, & planctu ſemper quæremus inani;
Ac tandem incipient ſeri dubitare Nepotes
An tua viventis virtus, & gloria major
Fulſerit, an fletus diuturnior adſit ademptæ.

Joann. Turner, A. B. *Coll. Chr.*

VIrtutes adeò claræ celebréſque nitebant,
Non poteras Superos *Diva* latere diu.
Jamdudum agnoſcunt retinentem ſemina cœli,
Et meritis ſtatuunt debita regna tuis.
Sed quia non capias regni cœleſtis honores,
Infernas terras ni moderere priùs,
In genus Auguſtum referunt, & in aſtra reponunt,
Regia nobilitas lactea nempe via eſt.
Exuis hîc terram; numen ſuccrevit in horas;
Viſis cognatas *Diva* repentè Deas.
Nam Dii continuis rapiunt in ſidera fatis,
Præclaram ſtirpem *Carolidûmque* domum.
Et tua cùm peteret magnus connubia *Princeps*,
Ad cœlum conſtat Te properâſſe tuum.

Geo. Williams, Coll. Regal. *Alum.*

HEm! prorſus ſtupeo, quòd non mors territa formâ
Torpuit obtuitu primo; neque tela retorſit.

Inveni causam: ipsa Cupidinis acta furore
Optat, & optatam gelidis amplexibus ambit.

Tho. Heyricke, A. B. *S. Pet. Coll.*

SIccine Cecropium fatum luit Anglia, morti
Ac si Nobilium dare corpora jussa quotannis?
Speravi Monc'um monstrum hoc, ut *Thesea* quondam,
Devictum solio jam deduxisse superbo:
Nec minùs infernos, quam quos dum vixerit, hostes
Regalis generis debellavisse nefandos.
Sed mea me lactat spes, quippe secundus ab illo
Ramus de *Caroli* trunco fit victima fato.
Bellua gestit adhuc regali sanguine pasci,
Tantò plúsque sitit, quantò plus sanguinis hausit.
Vidimus abreptam Regis paulò ante sororem,
Altera jam cecidit; datur altera causa doloris.
Te dolet amissam (pia mens) Academia nostra,
Hospes cui nuper tu perquam grata fuisti.
Quo tunc officio, te nunc celebrabit eodem,
Quod tibi præsenti debet, præstabit ademptæ.
Splendorem, nostros quocum stipata penates
Nuper adivisti, tam defeciisse repentè
Heu miseret; floréque tuo quos nuper in ore
Vidimus, abscissos jam deflorere dolemus,
Dum quos Campus alit flores à vere virescunt.

H. Chichester, A. B. *Coll. Gon. Cai.*

Mœsta

MOeſta peregrinas quid reſpicis Anglia clades?
Et gemis abſciſſo toties quæ Gallus in orbe
Extulit, heu! noſtris quamvis minùs æqua Britannis,
Funera, & Angliacos remorantia buſta triumphos?
Ecquid longinqui querimur diſpendia fati,
Funeſtámque uno non unam vulnere gentem?
Cùm propior jam luctus adeſt, quem vendicat omnem
Anglus, & adjuncti renuit conſortia Galli,
Scilicet hoc totum eſt, *Præluſtris Fœmina*, noſtrum,
Hauſerit Angligenûm quòd tanta infantia cœlum,
Quòd nativa ſuam tectura eſt Aula favillam;
Relliquiis inhiare tuis quæ mœſta ſuperbis,
Atque olim ſeris monſtrare Nepotibus urnam,
Quin magnum ſuperáſſe *Ducem*, quem mille Batavæ
Non poterant ſuperare rates, pelagive furores,
Aut fruſtrà objectis temerarius *Opdamus* armis,
Hæc quoque ſola tua eſt, noſtræque hæc gloria gentis:
Sola tuæ hunc ſuperare victorem ſpicula formæ;
(Fortia tela quidem) ſed & his eſt addita virtus;
Dúmque oculos paſcit formoſi gratia vultûs,
Mente ſub hoſtili mens jam captiva tenetur.
Ceſſit ſpontè quidem, quod verò in amore ſolemus
Spontè coactus erat, placuítque oblata Tyrannis:
Inſolitas penſat victoris laude catenas,
Vincere ſéque putat, quicquid viciſſet amata.
Digna Viro Conjux, & ſi non Fratris adiſſes
Neptuni thalamum, fueras *Jove* digna Britanno.
Sed prohibet jam plura dolor, mediæque ſecantur
Singultu & gemitu voces, atque irrita fractos
Reddit lingua ſonos, & vano ludat hiatu.
Annuat ergò, precor, lacrymoſo *Diva* Poctæ,
Et liceat reliquum ſine teſte explere dolorem.

Tho. Boteler, Coll. Chr.

Fata

FAta inter tam multa, catenatósque dolores,
Cladésque tantas nobiles & Reglas;
Nescieras, *Dux*, ambiguis affectibus hærens,
Matrem, an Sororem, an *Nonobium* fleres tuum:
En quartum accepit lacrymanda Britannia vulnus,
Unius anni vix peracto circulo.
Occidit Anglicarum ingens modò gloria matrum,
Quæ sola lecto digna habebatur Tuo.
Occidit Illa Tui, *Princeps*, pars altera, vultum
Quæ concolorem animæ gerebat candidum:
Quæ sobolis pulchræ, (Lucinâ sæpe vocatâ)
Fœcunda fecit Te Patrem lætissimum.
Quam terris tantum fata ostendere, nec ultrà
Miseram finebant lucem, vel Sponso frui.
Hîc, *Vir magne*, decet manibus dare lilia plenis,
Largúmque munus ferre luctuarium.
Hîc tecum ô liceat nobis miscere dolores,
Nam quæ Tuos metuit luctus, nostros jubet.

Tho. Nixon, Trin. Coll.

PIgnore quæ multo vixit Regnumque, Virumque,
Spes tulit Angligenis, & tibi, *Grantæ*, Duces,
Occidit, & (mirum potis talia munera) donat
Quo posset *Rex*, *Dux*, *Anglia*, *Grantæ* queri.
Nè tamen invidiam non esset Parca ferendo,
Et morbum pariter fama, necémque tulit.
Immaturus adhuc celeri sic pulchrior ungue
Carpitur, & formâ flos perit ipse suâ.
Sed nec fila priùs nostræ resecantur *Arachnes*
Quàm nova viscеribus stamina nata forent.

Laudentur

Laudentur proavis aliæ, vel ſanguine longo,
Prole ſuâ Noſtra eſt, ſanguine clara ſuo.
Quæ tamen à cœlis ortum duxiſſe feratur,
Ni peperiſſe queat, ni queat Illa mori.

Edm. Whitfield, Coll. Regal. *Alumnus.*

QUò magìs illuſtres, magìs hoc laudare veremur
Virtutes, Princeps, jam Dea facta, tuas.
Tartara ſic, cœlóſque, Deóſque tacemus & ipſos;
Scilicet hæc poſſunt non niſi mente capi.
Quodlibet his addas, Lector, nobis ſatis eſt, quòd
Apta Viro Tanto, dignáque viſa fuit.

Saunder, Sid. Coll.

JAmdudum erubuit peritura Britannia flammis,
Preſſit & incenſas peſtis acerba domos:
Nuper at invaſit Regalia triſtior hoſtis,
Occidit è thalamis Sponſa, *Jacobe*, tuis.
Flamma vorax urbes populata eſt, peſtis egenos;
Morte ANNÆ eſt pietas obruta, forma, decus.
Infelix Britonum medio jacet inſula Ponto,
Numinis irati verbera ubique luit.

Mericus Head, A. M. Coll. Regal. Soc.

Invida

INvida num Clotho ſolâ regnabis in Aulâ?
Cur humiles potiùs non petis ipſa caſas?
Funera vix licuit Matris deflere *Mariæ*,
Et lugere Tuos, *Diva Heneretta* rogos;
Quin iterum feriunt Palatia Regia Parcæ,
Et pulſant limen, clare *Jacobe*, Tuum.
Chara tori Conſors cecidit Tua; parte ſuperſtes
Vivis, pars periit dimidiata tui.
Quot tibi produxit Regalis ſtemmatis ortus?
Signáque fœcundi quot dedit Illa tori?
Pro Conſorte tuâ tu vivas, Regie Frater,
Et numeres Pylii ſecula longa ſenis.
Próque tuâ vivat Proles numeroſa Ducissa,
Et fias damnis ditior Ipſe Tuis.
Sic planctus, luctúſque tuos fortuna levabit,
Penſáque pro tantis cladibus æqua dabit.

J. Madocks, Coll. Conv. & Caii.

JAm *Dodonæi* ſileant miracula fontis,
Accendit piceas quo levis unda faces.
Angliaci luctûs potior ſit gloria, noſtris
Incipit à lacrymis ultima flamma rogi.
Æſtus & unde tenet cordis penetrale Ducissæ,
Perpetuus nobis hinc orietur amor.
Hic amor augetur gemitu, pluvióque dolore,
Et fletûs medio plenior imbre viget.

Sic

Sic quem non lacrymæ noſtræ, nec mors tua perdit,
Æternis titulis par foret uſque tuis.

Tho. Flyer, Coll. Regal. *Alumn.*

ALma die Veneris *Venus* occidit: ætheris arces
Scandat ut excelſas, occidit alma *Venus*.
Cynthius à lecto ſic ſeſe tollit aquoſo:
Ut nova veſtiget lumine Regna ſuo.
Sic ANNAM ardeſcens evexit ad æthera virtus,
Hæc queat ut ſtellam flamma creare novam.
Iſta *Venus* formâ tali, *Cytherea*, coruſcat,
Ut radiis radios obruat illa tuos.
Regia veſtitur magni ſplendore Tonantis;
Sed micat adventu clarior illa tuo.
Harmoniam exercet ſphærarum turba niteſcens,
Sed ſileat veſtrum, Te recinente, melos.
Pallada tu ſuperas: ſuperat tua Muſica Phœbum:
Atque comes Veneri gaudet adeſſe ſuæ.
Tu ſolem ſequeris, Te ſol ſequitúrque viciſſim:
Aſt ubi Mercurius ſtat, *Venus alma*, tuus?
Ille micat terris: ſerus petat atria cœli,
Ut jactet Geminos ſtelliſer ordo ſuos.

Ben. Wynington, A. B. *Coll. Regal. Soc.*

Epicedia Cantabrigiensia.

NOndum præteriti gemitûs oblivia nostros
Permulcent animos; *Henrettæ* Marmora sudant
Immensis lacrymis; nedum pia vota recenti
Gallorum claræ solvuntur *Principis* Urnæ;
Cùm tamen immitis *Lachesis* sua funera struxit,
Angligenis minimè luctu deflenda minori.
Vos, precor, *Henrettæ* Manes ignoscite sacri,
Principis *Eboraci* si funera Musa sequatur,
Abluat & madido tumulum libamine fletûs.
Nubibus obvolvens crines jam *Diva* reliquit
Anglorum terras, & splendida stella refulget;
Mittimus (heu miseri!) dum nos ad sidera questus,
Qui nostram cœlo nequeunt deducere *Divam*.
Splendenti radio *Medicæis* addita stellis,
Juncta *Jovi* fulget, comites augétque quaternas.
Insolitum non est; *numero Deus impare gaudet*.
Principis abscessu, niveum mutata colorem
Albion, intinxit piceâ nigredine lupes.
Jam *Rosa* purpureo translato sanguine pallet;
Obducunt lacrymis *Augustum Lilia* vultum;
Nec proprios *Cytharâ* jam possit *Hybernia* luctus
Deplorare suos; nec *Cadens* tingitur *Aula*
Purpureo, nigro tandem vestita colore.
Alma Parens, tenebris deplorans *Lumen* ademptum,
Exhaurit lacrymis surgentia *Pocula* mistis.
Incipiens questus tandem proferre sequentes:
Sistere non possis rapidos, Mors improba, cursus?
Crudelis nimium! cur bustum busta sequuntur?
Singula non prosunt; an funera juncta juvabunt?
Jam pede non æquo veneranda *Palatia Regum*
Pulsas; non satis est humiles petiisse tabernas?
Desine Nobilium tandem præferre cruorem

Com-

Communi; ſatis eſt, ſaties te ſanguine vulgi,
Talia verba ferens vox mundi concutit axem,
Et gemitûs murmur tremulum diviſit *Olympum.*

Cory, C. C. C. *Alumn.*

ANNÆ *Acroſtichiis Epitaphium.*

ALma jacet, generis fulcrum, ſub marmore Princeps,
NUnc ſita ſub ſaxo fixa columna jacet.
NOſtrati ſobolem terræ cineréſque reliquit,
ASt loca, quæ ſupereſt, mens meliora petit.

G. Hart, A. B. *Coll. Chr.*

USque caret ſplendore ſuperflua gloria cœli?
Nondum Divorum ſat decorata domus?
Nondum perfectus poſcit terrena, nec uno
Contentus cœlo *Jupiter* eſſe poteſt?
Sic eſt, in *Danaën* nec jam deſcendet *Olympus*,
Aſcendet *Danaë* nubilis ipſa *Jovi*.
Noluit ulteriùs terrâ expectare coronam,
Splendidior cœlis nempe futura nitet.

F. Burrell, A. B. *Aul. Pemb.*

ALma DUCISSA, licèt morienti nulla comata
Fulſit ſtella tibi, veri prænuncia Fati,
Haud tamen intrâſti thalamos ſine lumine cœli:
Ecce ardore pio devotæ altaria gentis!
Exurgunt paſſim flammæ, ſtellâque ſilente
Accendiſſe faces gaudent, buſtíſque ſorores
Juſta triumphantes dant, & pia thura reponunt.

AT tu Empyreis ſancta cœlis addita
Anima! fruere tandem tuâ ſede propriâ,
Inter beatos Angelos & ordines
Cœleſtium; dum nos tui conſortio
Piè invidentes, id precamur unicè,
Ut cùm ſuprema fulſerit nobis dies,
Tibi adjacere, ſimul & uno vortice
Fulgere liceat ſingulis & omnibus:
Cælum & *ſepulchrum* ſic tibi comites dabunt.

(Will.) *Bedgeant*, C. C. C.

ÆTerni aſtrorum ô ignes, & Regia cœli,
Et vos, ô Parcæ! an toties communia vota
Præſecuiſſe decet? ſenſim fundamina Regni
Cæſa, nec interea reparari lapſa videmus.
Indignam tam ſacra Domus perpeſſa ruinam!
Ecce tot antè datis jactura noviſſima fletur.
En languente animâ lentæ poſt tædia mortis,
(Longa nec indignata pati faſtidia morbi)
Paulatim fugiente, iterum revocante renidens,

Com-

Compellat natóſque, extremâ & voce Maritum
Eximium, ſimul huic æternum impertit amorem.

Teſtor utrumque caput, quondam O chariſſima Conjux,
Devotam hanc animam (*non hæc ſine numine Divûm*)
Do tibi, do Superis; tu ſeriùs aſtra ſubintres.
Téque (nec invideo) manet alto à Principe Conjux:
Te generum exoptent Reges, dotabitur uxor
Sanguine Regali, & rutilo tibi ſplendeat auro.
Et meritis (utinam) totos tecum exigat annos.

Conjugis, in nomén que ſacrum dum lingua movetur
Ultima; nobilium umbrarum (quibus Anglia curæ)
Conſilio, his rapitur velut internuncia Regnis.
Mors ſomno ſimilem, & placidum per membra ſoporem
Irrigat, æternùm ſtellantia lumina condens.
Dilectum caput alma recèns circumvolat Umbra,
Vóſque *ſagittiferi* circumvolitâſtis *amores*.
Explicat & leviter, dum cernua nubila tranſit,
Remigium alarum, ſed & eminus aſtra ſalutat.

Magne *Jacobe*, tibi potuit quæ nupta placere,
(*Principibus placuiſſe Viris neque enim infima laus eſt*)
In te parte ſui gaudet meliore ſuperſtes;
Moribus hæc tibi viſa diu digniſſima Conjux.
Quot tibi deprompſit ſuſpiria, quot ſingultus?
Dum caróſque cólis cineres, tibi flamma medullis
Altiùs inſedit, ſéque implicat oſſibus ignis.
Propitios patriæ, atque Tibi pia vota Maritæ
Promeruêre Deos; bellorum quando ſubactis
Molem ingentem humeris, ſubeunda pericula Ponti,
Fulmineó ſque ignes ultrò, *Dux* magne, tuliſti.

Hinc

Hinc tua tempora laurus habet victricibus armis,
Bellica jam virtus totum vulgata per orbem
Diffundit latè clarum per sæcula nomen.

Augusto CAROLI ore sedet reverentia tristis,
Dum torvùm dolet, & Procerum circumgemit ordo.
Imperio & famâ longè penetrante *Columnas*
Herculeas, bello Lybicas dum fulminat arces
Classibus obsessas, prædonibus æquore clauso
Barbariæ, pacem precibúsque, haud amplius armis,
Exposcunt. *Europa* simul læta otia, tanti
Principis auspiciis, altam & colit Anglia pacem.
Fortuna interea ut placidâ compôsta quiete
Tempora turbaret, dat ineluctabile vulnus,
Dum *Carolina* domus fulcris truncata labascit.
I Dea, regna petas licet; I quà prospera ducit
Relligio, quà te certum diadema manebit.
Jam tibi surgit apex, quò despectabis inanem
Invidiam. *Major rerum tibi pascitur ordo.*
Splendidiora subis nullo fastigia fastu,
Pompa magis fulgens, minùs invidiosa sequetur.
Gloria jam nullos tibi quæ properata remordet.
Felices tibi fert fausto magis omine tædas
Divus Hymen, simul æternos jungens Hymenæos,
Carolidúmque animæ emeritæ, plaudentibus astris,
Cognatum cœtum niveâ excepêre coronâ,
Manibus & dignam sociam Regalibus addunt;
Dum proavorum omnes gradiens supereminet umbras.

J. Laughton, A. B. T. C.

Pristinâ

Epicedia Cantabrigiensia.

PRistina viderunt fluitantem secula *Delon*,
Nec minùs *Eboracum* tempora nostra vident.
Hæc tamen Oceani circumflua fluctuat undis,
Eboracum lacrymis nátque fluítque suis.
Nam mala, quæ quondam per plurima secula retro
Sensit, in hoc uno funere juncta videt.
Hanc urbem *Pictos* fertur spoliâsse; dolorem
Majorem huic solâ morte DUCISSA tulit.
Sunt olim injectis pessundata mœnia flammis;
Sed magìs est hujus flamma dolenda rogi.
Occubuit tantæ splendor nitidissimus urbis;
Nostráque in occasum præcipitata *Venus*.
Spectavit nemo, qui non dilexerit; & jam
Ipsius est, si fas dicere, mortis amor.
Dum titulos aliæ magno cupiúntque petúntque
Conatu, à titulis Illa petita suis.
Hanc tandem ambivit cœlorum lucidus ordo,
Scilicet à proprio nollet abesse loco.
Splendebit *Phœbo* posthinc fulgentiùs ipso,
Illa quidem maculas non habitura suas.
Nec posthac *minimâ contenti nocte Britanni*;
Lux sua perpetuum quippe datura diem.

Johan. Byrom, Coll. Regal. *Soc.*

ANne igitur tantùm threnos, & funera sola,
Gaudia nulla canent, tristes antè omnia Musæ?
Non finitus adhuc, *Dux* Illustrissime, planctus,
Quem facit amissam narrans cum Matre Sororem
Gallia? quid potuit pejus tot navibus illa?

Pace

Pace cadit, bello *Dux* invictissimus omni,
Monkius, æternos Heros lugendus in annos:
Vita ea, si *primo vitæ* velut *arbor* in *horto*,
Defendi possit, gladio hoc defensa fuisset.
Quæ nunc sola tuos potuit lenire dolores,
Infandos renovare jubet charissima Conjux.
Sed quamvis non illa dies, extendere famam
Novit, & ereptæ nomen laudésque manebunt,
Qualis erat, quæ te vicit, *Dux!* *O Dea certè!*
Et quantos, pulchro veniens ex corpore virtus
Etsi non potuit cerni, incendebat amores!
Illa dedit natos, rapuit quos *Juppiter* ipse,
Vel *Ganymedæo* dignos succedere *lecto*.
Quicquid vulgus ait de relligione, ego *nullum*
Numen abesse puto cui sit *prudentia* tanta.
Sed quid ego hæc repetens minuam? non ultima laus est,
Ante omnes placuisse tibi, Celsissime *Princeps*.

Joann. Spragge, A. M. *Trin. Coll. Soc.*

Ad Ducem EBORACENSEM.

COnsortem *Dux Magne*, tori ploramus ademptam;
Illam afflata tuo Numine Musa canit;
Pro Ganymede aliam seu mallet Juppiter Heben;
Gratia seu Trino defuit una Choro.
Quis potuisse putet caruisse diutiùs Illam
(Orbis quam totus tollit ad astra) Polo?
Divisum imperium Tibi quòd cum Cæsare ponti est,
Sola Jovi à terris abripienda fuit.

P. Richardson, Trin. Coll.

Iret

IRet ad Elyſium cum Dux *Mavortius* ille
Monchius, atque ſuum conderet umbra caput;
Dicitur aſpectu tam ſævi funeris orbem
Amotum centro contremuiſſe ſuo.
Te quoque percuſſâ, (lux illuſtriſſima regni)
Credibile eſt, cœlo ſidera poſſe mori.
Nam ſi ANNÆ meritis ſolis par vita daretur,
Non niſi cum mundo debuit illa mori.

Ad JACOBUM *Ducem.*

QUid tibi dicemus *Dux* noſtro celſior ævo?
Quam tibi nos, humilis turba, feremus opem?
Tu tibi ſuccurras ſolus, cum conjuge natos
Perdens: ſolamen vix capit iſte dolor.
Tu verò uxorem nè plores ampliùs, annos
Illa tot exegit mente, quot orbis habet.

/John/ *Hope*, C.C.C. *Alumnus.*

Ad Ducem EBORACENSEM.

POſt tot fata Tuæ, *Dux magne*, propaginis, & tot
Buſta, ſatis ſaturam credimus eſſe necem.
At velut Hydra, novos parit ingeminata dolores;
Sævire in veſtram ſic juvat uſque domum.
Fletibus ut Conjux Tua cæſa indulget, in anno
Nos ridere ſemel *Dux*, ut Apollo, ſines.

Cum tædam accenſam lætus (gaudere licebit)
Vibrat Hymen, quærit ut jam Libitina facem.

D. Skinner, Trin. Coll.

CUm fueras olim *Grantam* dignata venire,
Et noſtros, præſens *Diva*, ſubire lares;
Sic tua mirantes traxit præſentia turbas,
Ut vilis populo magna *Minerva* foret.
Atria nempe tuum compleverat omnia nomen,
Et præter ſolitum cultor ubique fuit.
Nec vox, nec vultus, nec planſus ter geminati
Lætitiæ poterant edere ſigna ſuæ.
Gaudia quæ poteras nobis dare tanta ſuperſtes,
Infandos luctus poſt tua fata cies.

Dudley Garencieres, Trin. Coll.

DUm raptam fatis te, *Princeps*, flemus iniquis,
Averſos nobis credimus eſſe Deos.
Credimus & totô diviſos orbe *Britannos*,
Non procul à ſævis ictibus eſſe *Jovis*.
Qui ſi ſciviſſet quanti te fecimus omnes,
Donâſſet certè ſæcula multa tibi.
Sed dum te trahit in cœlum ſedéſque beatas,
Nos infelices mors tua ſola facit.
Eboracenſis ager dolet; & qui fertilis olim
Gaudebat titulis, magna Ducissa, tuis,

Nè

Nè fiat ſterilis te decedente timemus,
Sperata agricolis fœnora ſponte negans.
Sic poſtquam fuerat *Proſerpina* rapta, dolebat
Trinacria, & felix deſiit eſſe ſolum.
Sit licet illa tamen Stygiæ Regina Paludis;
Sit licet inferno nupta probata *Jovi*;
Sors melior ſedéſque tua eſt: te quiſque fatetur
Eſſe coronatam ſplendidiore loco.
Nam ſi non virtus aſtris cœlóque locâſſet,
Progenies faceret nobilitáſque Deam.
Aſt à *Perſephone* dum differs ſede locóque,
O ſi non eſſes fœdere diſſimilis!
Namque utinam ex æquo volventem *Jupiter* annum
Divideret nobis, &, *Dea magna*, tibi;
Ut ſex in terras, ſex inter ſidera menſes
Accumbas felix hoſpes, amica Dea!
Sic tu lenires noſtros hâc lege dolores;
Sic commune fores numen utriſque locis.
Vota tamen ſurdâ *Saturnius* imbibit aure,
Nec precibus vinci ſe tua fata ſinunt.
Hinc dolor eſt, quòd cùm redimi potuere minores,
Arte quidem nullâ te revocare licet.
Quod licet ergo, graves edentes carmine luctus
Flebimus interitum quâ licet arte tuum.
Nec tamen inferiis celebraret talibus urnas,
Diva, ſepulchrales turba togata tuas:
Exanimes Muſas niſi quod præſentia nati
Excitat, & matris funera flere jubet.
Dux Grantæ Muſas & conſolatur, & urget,
Quas te deceſſâ conticuiſſe ferunt.
Te cœlo, nobis natum Muſiſque dediſti:
Te cœlum, illius nomine *Grantæ* tumet.

Qui nisi mansisset post matris fata superstes,
Credibile est Musas nunc quoque velle mori.

Christoph. Wyvill, Trin. Coll.

Epitaphium Illustrissimæ DUCISSÆ
EBORACENSIS.

EN jacet hoc tumulo, quicquid mortale Ducissæ;
De tantâ quicquid valuerunt sternere fata;
Parte sui meliore polum petit, æthera tandem
Mens augusta tenet, nunquam non surgere docta;
Mens ingens, sortísque capax, mens ampla, nec impar
Fortunæ donis, & summo Conjuge digna:
Hoc satìs; hinc liceat discere quanta fuit.

Hen. Barnard, Armiger *Coll. D. Joh.*

QUis novus infestat regalia limina planctus?
Tutandos, *Jacobe*, lares quis numine vestro
Fœdavit subito ingratus discrimine casus?
Horrida quìd lætam nigræ solennia pompæ
Infecere diem? quìd vos de marmore facti
Compositi ad luctus? Conducta silentia novi
Lugendíque modos: timidæ præsagia mentis
Avertant Superi. Nam si non lumina fallit

Despon-

Deſpondens animus, magnus *maris Arbiter* illic
Affixus ſtrato permittit fræna dolori,
Indomitùm lugens, ipſíſque in luctibus *Heros*,
Fortior in lacrymis & aquas non temperat illas.
Heu! verum eſt video, periit dulciſſima Conjux:
Nil potuit tantos aliud ſuadere tumultus,
Atque intempeſtæ tranquillum frangere mentis.
Cernite quàm denſo ſingultu pectora rumpit,
Dilectóſque premit viſus, & frigida lambit
Oſcula, dein merſum luctu caput elevat, atque
Supremum miſero lugens vale dicit amori.
O Dea quæ nimiùm ſucceſſibus invida, faſtus
Spéſque premis tumidas: ſi Conjux fortè ſecundis
Non moderata animum rebus, ſi prodiga linguæ,
Si *Niobi* ſimilis bona Numina læſerit, iræ
Immortali omnis ſaltem non cauſa deeſſet.
Quòd ſi divinas nemo ſolertior aras
Laſſavit precibus, cur nos in funera tantùm
Servamur miſeri? numerosâ ex prole, parentum
Gaudia, ſemper quid redeunte litavimus anno.
Ultima reſtabat, quam toto corpore mater
Tota tegens, Unam hanc vel mors invita relinques:
Dúmque rogat, pro quâ rogat occidit. indè dolorum
Tanta ſeges.
Non ego, *Diva*, tuos pactus mercator amores,
Pectora nec geſſi longinquæ obnoxia flammæ,
Ipſe mibi explorator eram, formæque probator,
Et morum teſtis, nec conciliavit amorem
Hunc mihi luxuries, non mori ſanguinis ardor;
Sed ſexu virtus, annis prudentia major,
Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis.
Dic miſero mihi, *Diva potens*, quâ parte placebit

Ætheris

Ætheris in puros animam mutatier ignes:
Te magis Eoo malles, cœlóve cadenti
Credere, nam nullâ non te regione requiram.
Cúmque Deus rapido terrebit fulmine gentes,
Inque tui ſimiles diras inimica levabit
Parca manus, precibus numen mulcere benignis
Nè dedigneris, noſtróque ignoſce dolori.

Car. Fraſer, A. B. *Coll. Trin.*

ET *longùm Formoſa vale*; debet tibi *Grata*
Hoc, quòd vix potuit dicere triſte Vale.
Grata aderas nobis, quaſi mens præſaga futuri,
Viſiſti Muſas, mox moritura, tuas,
Sic quoque poſtremò charis valedicit amicis,
Inſtituit longas quiſquis adire vias.

B. Malet, Trin. Coll. *Commenſ.*

Ad Illuſtriſſimum Principem JACOBUM *Ducem* EBORACENSEM

SIc ingrata tuis facta eſt mors invida donis,
Cui toties bello ac enſe benignus eras?
En hoſtis veſtris ſubreptans ſubdola lauris
Furtim delicias abſtulit indè tuas.
Merſum cæde tuum ſtringas *Mars Anglice* ferrum,
Et cogas mortem morte perire ſuâ.

Sola

Sola per æthereum quæ formâ vincit Olympum
Martis in amplexu Diva venuſta juvat.
At roſa non tuta eſt ſpinis, nec ſplendida telis
Tecta fuit veſtris caſtior Illa *Venus*.
Heſperus Illa tuas laudes tellure ſequuta,
Phoſphorus in cœlos nunc tibi pandit iter.

Jo. Orton, Aul. Clar.

OCcidit hæc *Princeps*, quàm multo Numine plena!
Nec niſi Regali ſanguine Parca tumet.
Quin ſic diffugiunt cœleſtia corpora, viſum
Humanum rapidâ decipiente fugâ.

Joſ. Maryon, Aul. Clar. *Alumnus*.

FAllor? vel reſonat nunc iterum chelys
Rauco & funereo murmure, barbiton
Jam mœſtè modulatur,
Et voce inſolitâ ſtrepit.
Jam geſtant facies omnia languidas,
Nec vernis ſolitus floribus eſt honor,
Subſidúntque neſaſtâ
Vultus mœſtitiâ graves.
Non ſævire lues deſiit improba,
Nec mors terribiles depoſuit minas,
Torrens nec ſatiatur
Tanto ſanguine Principum.

Eheu

Epicedia Cantabrigienſia.

Eheu! turpè gemit ſub juga pallidæ
Mortis, cum gelidis compedibus trahi,
Et tam ſæpe prehendi
Mœret Nobilium genus.
Nec nos vota juvant; devorat helluo,
Et fauces aridas tingere ſanguine
Sacro (proh dolor!) ardens
Parcæ ſacra fames ſitit.
Non ſemper patitur Caucaſus horridus
Ictus fulmineos altiſoni Jovis,
Nec faſtigia vertunt
Inſani Boreæ minæ.
Aſt quid non metuis terra Britannica:
Te fortuna gravis continuò premit:
Importuna profanat
Quicquid celſius eminet.
Nec gemmas nitidas colligit (ut ſolet)
Oeſtro ſed rabido præcipites rapit;
Urget funera funus,
Non claudo ſequitur pede.
Quam furata tamen terrigenûm domo
Fauſtis mors ſuperis ſedibus intulit,
Cœleſti & dedit aulæ:
Hoſpes non humilis venit.

Wilſon, Aul. Pemb. *Alumnus.*

DEfunctam celebrent illi, queis fortior audet
Se tantæ laudi credere Muſa parem.

Exiguum

Exiguum cantent & carmen inutile *Divis*;
Deterat & Te elegis quiſque poeta ſuis.
Pro vivo ipſe Viro dem vota atque omina; paucis
Vatibus eſſe licet, cuilibet eſſe pio.
Sit felix; quantum ſine cœlo & Conjuge tantâ
Eſſe poteſt. Serò detur utriſque frui.

Arthur Calthorpe, Commenſalis Trin. Coll.

TEmpla *Heroinis* dedit haud ingrata vetuſtas,
Divarúmque decus prodidit ara memor.
Sed tibi *Britanni* lacrymas monumenta ſacrârunt,
Et *Mauſolæum* carminis ales erit.
Gloria *Muſarum*, tua quas præſentia nuper
Tanta venuſtabat, marmore majus habet.
Summus amor, verúſque dolor tibi nomen, honóſque,
Dum floret thalamis *Anglia* fauſta tuis.
Mundo utroque tui diviſa relucet imago,
Poſſidet hic prolem, numen & alter habet.
Si quid divinum regali ſtemmate fulget,
Tantò & major eris, quæ paris ANNA Deos.

Tho. Camborne, A. B. *T. C.*

Ejuſdem Epitaphium.

VIdi labantem, ſúbque reduce CAROLO
Meæ *Britanniæ* reflorentem ſtatum.
Senſi benignum, pariter infenſum *Fovem*,

Epicedia Cantabrigienſia.

Rerum vices ſubivi non inglorias,
Ducíſque celebris nobili nitens toro,
Diis invidendam patriæ prolem dedi.
Amore præluſtris, ſtipata honoribus,
Demum ambienti gratior ceſſi polo,
Beata ut eſſem nata, nupta, mortua.

Idem.

CUr fugis, ô, Sponſúmque, Uxor caſtiſſima, linquis?
Ante tuum & tantùm cur juvat ire *Ducem*?
Numquid eum à propriis illectas, blanda, *Britannis*?
Ad tua num ſuades ocyùs aſtra ſequi?
Certè ulciſcemur: ſiquid pia vota valebunt,
Jungetur tantò ſeriùs *Ille Tibi*.

CAlumniari deſinas, qui lubricam
Piæ Ducissæ ſtolidus objectas fidem:
Noſtram relinquit, fateor, atque ultro alteri
Eccleſiæ ſe, ſed *Triumphanti* inſerit.

Joann. Aſhburnham, Arm. A. M. *C. P.*

TEmpore quo volucres nidos fecêre vagantes,
In cœlo nidum condidit ANNA ſuum.

N. Oſborne, Coll. Em.

Flevimus

Epicedia Cantabrigienſia.

FLevimus ereptam *Mariam*, *Caroliq́ue* Sororem,
Flevimus invicti nupera fata Ducis.
Infandum Mors atra *jubet renovare dolorem*,
Quâ nos in lacrymas prodiga turba ſumus.
Fundimus inferias tumulo, exequiáſque DUCISSÆ
Pangimus, invitat Conjugis ecce dolor.
Effugit viſura Deos, & ſaucia fato,
Percuſſæ *Veneris* more petivit opem.
Hæc moritura utero, *Semele* velut altera, vitam
Eduxit, pereuns ipſo in *amore* Deûm.
Vivas Nata, *pari frondeſcas virga metallo*,
Et ſerò fugias lucida ad aſtra poli;
Mater ubi nitidâ *Minoîdos* alma *coronâ*
Cingitur, & *Cathedram Caſſiopeia* dedit.
Deſpicit è cœlis agitatos turbine vitæ,
Dum ſuprà *Cyprio* clarior *igne* nitet.

Joann. Thane, Trin. Coll.

ÆTherio redimita die dum plena refulges,
Perpetuâ *Britonas* nocte, DUCISSA, premis.
Amiſſo ſplendore tui caligo ſecuta eſt,
Inficit & lacrymis lumina noſtra dolor.
Vixiſti ipſa *Ducis* Conjux dilecta *Tonantis*,
Qui *Batavos* belli fulmine contuderat.
Humanâ & ſpecie fueras auguſtior, indè
Cognatos viſis *Diva* petita Deos.
Fama tuis titulis caput inter nubila condit,
Tendis ad ætherias altior ipſa domos.

Nil opus est ductu stellæ præeuntis, adibis
Luce tuâ cœlos, tam tibi nota via est.

Jacobus Hollier, A. M. *Coll. Regal.*

LAcryma si tandem post funera tanta supersit,
Gauderem in fletu luxuriare meo.
Quippe piæ lacrymæ nunquam in statione manebunt;
Nempe jubet guttas fœmina sola suas.
Patria desistat per cœlos astra locare;
Undique vel numero lacteus æther erit.
Atlas enim nimio sub sidere pressus anhelat,
Persequitur stellam dum nova stella novam.
Anglia nec mittit nisi maxima sidera cœlo,
Pondere quæ scapulas prodigiosa gravant.
Jam tumulum peto *Diva* tuum, de cespite vivo:
Et vinum & violas, quas fero, sume meas.
Parce precor, nullam vivæ quia struximus aram,
Nec virtus pretium detulit ipsa suum.
Non licet *Æneæ* matrem cognoscere, solus
Decessus *Venerem* vindicat esse *Deam*.

Ludovicus Maidwell, Coll. S^ti Joh.

In

In Obitum ANNÆ EBORACENSIS *DUCISSÆ, quæ ſuperiore anno* Cantabrigiam, *ibique Bibliothecam* Joannenſem *inviſerat.*

VEnire magnas nuper in Dominæ manus
Quàm tota geſtiit libellorum cohors,
O ANNA, viſere comiter domicilia
Cùm noſtra librorum hoſpiti placuit tibi.
Nutavit autem hinc longa *Philoſophantium*,
Nutaverat ſeries & hinc *Medicantium*,
(O impotens genus, genus *Medicantium*!)
Indéque *Poëtæ*, & indè *Theologi*, pedes
Cuncti verendo capite venerantes tuos.
Nutâſtis & vos quoque graviter ordo *Patrum*
Eccleſiæ, quos ſi quis intus hauſerit,
Fruſtrà propinat *Roma*, Meretrix toxica.
Sperâſtis Illi vos futuros ſcilicet
Charos, Patronam eam, Clientes vos, libri.
At flete veſtris nunc, libri, in ſubſelliis;
Nec Cedrus impinguet, nec officioſior
Hinc vos colat Cuſtos ſuo cum pumice;
Ohe! tineas paſcite ſub atris ſittybis.
Abiit enim Anna veſtra, abiit & veſtra ſpes.
Hanc triſtè amicis juſta perſolventibus,
Duxêre lucidæ in nigram faces domum.
At ô faces uſus repertæ in peſſimos!
Veſter, tumultu ſubſequente funebri,
Vexabit uſque noſtra fumus lumina.
Ah! lætiore nuper igne *Gallia*

Fulſiſtis

Fulsistis, ubi Rex plurimas accenderat,
Quasi minitans terris suprema fulgura.
Timere mortales, & expectare, quo
Suæ superbiæ litaret sanguine:
At is, nemora vobis latè accendentibus,
Vili triumpho mulsus & spolio humili,
Feras repercussit, pepercit hominibus.
Sic terruit *Delia*, steterat in *Aulide*
Cùm classis Austris lacera, miserum *Agamemnonem*;
Absolvit at mox Virginem mitis Dea,
Aráque cerva purpuravit hostia.

T. C. S. J. C. *Soc.* A. M.

Celsissimo Principi

JACOBO

Duci Eboracensi.

PEr mare, per terras Victor, Dux, *vince dolorem*
Fatalem, Fati sic quoque Victor eris;
Atque Tuis fuerit quantò contractior ætus,
Sint Tibi eò plures, & sine nube, dies.

Joh. Breton, *Acad.* Procan.

Tou

YOu angry Powers now ceaſe your mortal hate,
Since York's *great Dutcheſs victim lies*
On th' Altar of your cruelties:
The nobleſt conqueſt of too haſty Fate.
Bright She too doth your diſmal Triumphs grace,
She, happy mother of a Princely Race.

A Race that ſhall your growing Empire ſtay,
That ſhall your rage and fury aw,
And ſcorn your univerſal Law,
And by its radiant light your Phantome Death diſmay:
Maugre your malice, Both immortal prove,
Her Offspring here, and glorious She above.

Methinks I yet the pomp and luſtre view,
That gentle Grandeur which around
Her and Her mighty Husband crown'd,
When that Illuſtrious Pair our humble Cambridge *knew:*
And ſtill the joy that Preſence did inſpire
Checks doleful numbers by more active fire.

The Sea Nymphs Thee ador'd, when on the main
Thou didſt thy glories once diſplay,
Shrowding their heads, they ſhrunk away,
And own'd Thee Goddeſs of the watry plain.
This was the leaſt of wonders Thou couldſt do,
Thou vanquiſht Him who aw'd God Neptune *too.*

A ſoul ſo lofty, ſo ſublime as Thine,
Might have enjoy'd a peaceful ſtate,
Above the Attaques of angry Fate;

Had

Had it obtain'd a firm and laſting ſhrine:
But Fate, thoſe foes whoſe power ſhe dreads, compels
T' enſconce in weak and batter'd Cittadels.

At once Thou both to Gods and men art kind,
(Obliging both the earth and ſky)
They happy by thy company,
We by Thy deareſt Pledges left behind.
So from the Sun the light at once is hurl'd
Up to the Orbs, and down the lower world.

Nor ſhall thoſe charms of Greatneſs and of Wit,
Whoſe matchleſs conqu'ring power could move
Great York *to wonder and to love,*
Entomb'd in darkneſs to the grave ſubmit:
For ſtill brave ſouls i' th glaſtering Court divine
With clearer rays, and improv'd beauties ſhine.

Reſt then bleſt ſhade, midſt thoſe eternal ſweets;
That cheerful Spring without decay;
Where cares and ſickly fear's away,
Thee no old age with wrinkled furrows meets.
Thy fatal Goodneſs claims rewards ſo high,
That would, to give the world a Princeſs, die.

Tho. Fiſh, *A. B.* Chr. Coll.

MUſt then the Britiſh Palace ever be
Like Pharaoh's *mantled in obſcurity?*
Muſt mournful colours ſtill the fabrick ſtain,
And will the Court ne're return Whitehall *again?*

The

The Sun, whose twelve moneths course is now expir'd,
Scarce saw't but in a sable vail attir'd;
Nor yet in the whole circuit of the place,
Spi'd ought but darkness or a Pallid face.
Was not great CHARLES *below, we might have sworn*
That the whole Court i' Olympus would adjourn.
Since in so little space, so large a train
Are mounted up to the Etherial plain.
But 'tis his glory to augment, they move,
To tell his grandeur, and express their love;
That unto future times it might be shown,
CHARLES *like a Deity could rule alone;*
By the sole counsel in his breast contain'd,
Govern himself, and the whole world command.
Nay durst I but presume so far, I'de say,
Cesar *himself does but in pity stay.*
He else had led up all those glorious bands,
And shone a star over the British *lands.*
Had not his care of us still kept him here,
To shine for some time in our under sphere.
He in the absence of those lights, brings day,
And comforts us with his refreshing ray.
Else had our Isle at this great Princes *death*
Been dark as that where dull Cimmerians *breath.*
She's gone, and with her all those graces die,
Which hearts of Princes could in fetters tie:
Which France *rever'd, which* Belgia *did adore,*
Which Britain *boasted, and now all deplore.*
Pale Executioner, didst thou not show
Thy spite enough in that thy former blow,
When thou didst cut the Lily of Burbone,
But thou the Rose of York *too must mow down?*

When thou hadst cropt so many Buds *before,*
Thou might'st have spar'd the Tree *t' have yielded more.*
Sure thou dost purpose to perfume the grave,
With richer odours then Sabeans *have;*
And after so much toil intend'st to rest
Thy wearied limbs within that spicy nest.
Or else triumphing in the bloud that's shed,
Mak'st garlands now for to adorn Thy head;
And in that latter act do'st glory more,
Then in those massacres thou mad'st before.

But since great souls have a prophetick sight,
And spie from far, when we lie wrapt in night;
Since thou, Illustrious Princess, *thus might'st know,*
Thou shouldst so soon take leave of us below;
Why didst thou tantalize poor Cambridge *thus,*
And onely come to make us know our loss?
Thou onely touch'd upon the Muses seat,
To shew thy love, as condescension great:
And of our meanest cates didst please to eat,
More out of love to learning, then the meat;
And then from our Parnassus *didst remove*
Unto the blessed Horeb *that's above.*
Thus the bright Cherubs did with Abraham *sup,*
And left the Patriarch when they'd kiss'd the cup.
Thus the pure quire of heavenly Angels we
Can onely in a quick short vision see;
And when w' have view'd their beauteous frame quite o'r,
They glide away, and they are seen no more.

Sam. Philipps, *B. A.* Fellow of Magd. Coll.

THe world's a large and ſpacious Theater,
Where all both actours and ſpectatours are;
The low, the mean, and unregarded fry
Make up the home-ſpun Farce *and* Comedy:
And here 'tis by Dramatick laws *decreed,*
That 'tis abſurd to ſee an actour bleed;
For this would all the Comick *mirth defeat,*
And yet create no Tragical *regret.*
They are a grief too ſmall to challenge tears,
And miſbecome our jealouſies or fears.
Yet though we care not when the rabble die,
We may blame Death for her bad Poetry.
But thoſe whom ſouls of nobler make *inſpire,*
Sparkling with generous and majeſtick fire;
Thoſe whom th' Heroick buskin *doth befit,*
In whom brave vertue is with honour knit;
They are oppoſ'd to all the ſtorms of Fate,
And muſt be as unfortunate as great.
We're diſappointed, and condemn the Play,
If we from ſuch come unconcern'd away.
And ſince, Great Madam, *you ſo long time were*
The mightieſt Actreſs on our Theatre,
We could ſcarce hope Fate would have prov'd thus kind,
And left her richeſt prize ſo long behind.
Pardon our tears, when we do thus lament
What was your praiſe, as 'tis our puniſhment:
For if in loſty Scenes *Death wins the prize,*
And he the greateſt Actour is that dies,
'Tis doubtful which in you did moſt excell,
Or that you dy'd ſo ſoon, or liv'd ſo well.

A. Spinedge, *B. A.* Fellow of Jeſ. Coll.

Epicedia Cantabrigiensia.

I.

'Tis very strange, when that blind zeal had seiz'd
Antiquity, of making what they pleas'd
A God, how Death should come to miss
Amongst them all an Apotheosis.
Strange, that th' Egyptian, whose mysterious eye
Could every where espie
Whole gardens planted with Divinity,
That could descrie
In ev'ry hole a petty Deitie,
Should be so blind as not to see
That all his Gods were sacrific'd to thee,
Before whose Altar Nature's self shall lie
A flaming victim, and at length must die.
Nay sure his power is greater yet,
To it
A real God did once submit.
No wonder thou didst not withstand,
Great Princess, that imperial hand,
Which had a God within command.
But still, methinks, with thee
It must, as then with heaven, be,
His conquest brings the conquer'd victories.

II.

'Tis She (alas!) tis She that's gone,
Who in her own perfection
Founded her Greatness, not upon the fame
Of some bald, threadbare name:

She

She was her self too much a Saint,
To trust on others merits; nor could She
Adore the Reliques of a long pedegree;
Her native beauty scorn'd
To be adorn'd
With such Right honourable *paint.*
We are abus'd by words; Nobility
Is but a spruce, gentiler fallacy;
'Tis sure more heaven-like to give
A lustre, then 'tis to receive;
These shine but by reflection, oft our sight
Discovers something base,
Something that's black, to spoil their borrow'd grace;
It does eclipse and darken quite
Their faint, obscure light;
Whilest stars that genuine beams do cast,
Are vigorous still, never decay nor waste.

III.

Such was her soul, a soul that did disdain
Longer to drag this life's dull heavy chain;
A towring soul, it could not stay to fall
On what we mortals do Most excellent *call:*
It could not stay
To quarry on that prey,
That must sometime be ta'ne away.
She had almost attain'd the utmost height
Of humane aims; but yet her rising mind
Leaves all behind,
And resolutely takes its everlasting flight,
To objects that are able to invite;
And satisfie her generous appetite.

So

So flame (her brighteſt Embleme) if it chance
To get deliverance
From fetters of groſs matter, and if here
There nought appear,
On which it may its active force beſtow;
Away it hies
Unto its proper ſeat, the nobler skies,
And, like her, leaves its earthy part below.

IV.

'Twas earth indeed, but of the richeſt ſort,
Fit onely for the port,
And ſplendour of the Royal Court;
Such the great Artiſt uſeth for to take,
When he's about to make
Somewhat divine,
Somewhat that muſt enſhrine
No common image, ſome more near expreſs
Of the Celeſtial happineſs;
No vulgar ſoul, but one that is to ſhare
More largely of the gifts that in the Godhead are.
Thus Jewels have a pearly Cabinet,
And precious Gems in pureſt gold are ſet.

V.

'T had much of ſweetneſs, much of Majeſty,
Nor er'e did know
Ought mean, or low;
'Twas to be onely High;
Highneſs alone ſhe ſeem'd predeſtin'd to.

Such

Such the Angelick forms muſt be,
When they daign to be dreſt
In an aerial veſt,
And put on ſomething of mortality.
But can we boaſt of her, and call
What e're ſhe had terreſtrial?
No ſure, 'tis a miſtake;
We know it was the Queen of Beauties *face;*
But She no leſs then of Immortal race,
That could the Deity of war a priſoner make.

Joh. Billers, *B. A.* Fellow of St John's Coll.

FINIS.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE